A ſtadiorum,vepribus ſpiniſque obſitum, unius diei opera purgatum ſibi redderent: inde diurno opere feſſis præcepit, ut poſtridie ſibi lauti adeſſent. Ipſe ex paternis interim gregibus vim pecorum ingentem occidit, & cum his boves plurimos, ut oppiparè tot hominum millia uno tempore prandérent. Tum epulis eò tempeſtivè congeſtis, quò manus illa ingens ex imperio coitura erat, larga vini copia, ciborumque elegantia paſſim diſcumbentibus appoſita, multo luxu, & hilaritate pars diei non parva acta eſt. Ubi verò abundè epulati ſunt, in concionem Cyrus eos vocat, ac primùm omnium rogat, utra opera ſuavior animis fuiſſet, heſterna illa quæ inter vepres & ſpinas, in arcta locorum feritate, ægrè conſumpta eſſet; an recentior, quam virenti prato, multa cum voluptate paulò antè exegiſſent? Quum magnum eſſet inter utramque diſcrimen,& tota concio reclamaſſet,ut tantum præſens hæc haberet voluptatis, quantum ærumnarum prior illa habuiſſet: Rectè, inquit Cyrus, judicatis, ſed advertite viri Perſæ, quàm utraque conditio ſit veſtris rebus non diſſimilis. Siquidem volentibus vobis honeſta ſequi, & mecum audere, quæ viros fortes decent, eadem B longèque majora commoda adſunt: ſin minùs, ærumnæ nihilo heſternis illis inferiores nos poſteroſque noſtros perpetuò prement, Medorum injuriæ, ſuperbæque damnationi obnoxios. Quum hæc ille peroraſſet, miro omnium conſenſu defectio ſecuta, bellumque in Medos decretum. *Sab. l.5. En.2. ex Herod. l.1. & Front. l.1. c.11.*

Egeſtanorum legati ſuppliciter opem petebant ab Athenienſibus contra Selenuntios, qui bellum eis ob finium diſcordiam intulerant; accitiſque in partes Syracuſanis, terra marique infeſtabant, ita ut parùm à legitima obſidione diſtarent. Athenienſes legatos in Siciliam miſerunt ad Egeſtanorum res inſpiciendas, videndumque, an tantum illis pecuniarum ad bellum eſſet, quantum eorum oratores prædicarent. Egeſtani, ut legatos ingentis theſauri ſpecie fallerent, Erycinæ Veneris donaria primò illorum oculis ſubjecere: inde à finitimis circa oppidis Phœnicum & Græcorum corrogata pocula argentea ſimul & aurea, in conviviis pro ſuis circuntulere. Quo aſpectu decepti legati, ubi Athenas venerunt, Egeſtanorum opes nihilo eorum prædicatione inferiores affirmare ſunt auſi. Itaque permoverunt po- C pulum, ut Egeſtanis auxilia decerneret, Lamacho Nicia & Alcibiade ducibus. *Sab. l.7. Enn.3.*

Cùm Athenienſes diuturno bello, & gravi Salaminorum inſula cum Megarenſibus geſto fatiſcentes ſanxiſſent lege pœnam capitalem, ſi quis rogationem ferret vel referret iterùm ad cives de aſſerenda Salamine; eam infamiam Solon graviter ferens, cum videret juventutem magna ex parte occaſionem quærere arma movendi, neque eos tamen metu legis audere id inceptare; ſimulavit dementiam, rumorque per urbem ex domo ejus percrebuit, eſſe eum furore correptum. Compoſuerat autem clàm elegos,quos meditatus, ut memoriter recitare eos noſſet,pileatus proſilit repentè in forum.Ingenti concurſu facto ſuggeſtum præconis conſcendit,& cornu eos verſus pronuntiavit, quorum hoc exordium:

Adſum præclaræ præco Salaminis ab ora,
In cœtum veſtrum dulce poema ferens.

Hujus poematis inſcriptio Salamis eſt, & verſus continet centum ſanè quàm venuſtè ſcriptos. Quos ubi cantavit, & amici ejus cœperunt laudare, præcipuè autem adhortatus Piſiſtratus cives eſt & inflammavit ad parendum dicenti, D ſolverunt legem, bellumque deintegrò ſuſceperunt, rebus gerendis præfecto Solone. *Plut. in Solone.*

Cum Darius rex Scythis bellum inferret, & Geloni, Budini,atque Sauromatæ Scythis ſe auxilio futuros polliciti eſſent: ac Agathyrſi, Neuri, Androphagi, Tauri & Melanchlæni ſocietatem averſarentur: ut illos vel invitos ad arma contra Perſas ſumenda cogerent, Perſas prælio laceſſitos fugiendo in eorum regiones deduxere,qui ſocietatem detrectarant. Quas cum Perſæ more ſuo vaſtarent, ad vim Perſarum arcendam unanimi tandem cōſenſu arma ceperunt. *Her. l.4.*

Græci, qui contra Perſas arma ceperunt, non eſſe, quæ illi in Græcia concremaſſent,deorum templa reſtituenda cenſuerunt, quo ſempiterna extarent inimicitiarum monumenta. Eamque ob rem in Haliartiorum finibus delubra multa, & apud Athenienſes Junonis in Phalerica via, Cereris in ipſo Phalero, ſemiuſta permanſerunt. *Pauſ. in Phocicis.*

Spartani,ut ad belli ſtudium excitarent ſuos,cùm domi diſciplinam ſeveriſſimè colerent, militiæ rigorem illum laxabant,nec prohibebant excolere comam, armiſque ſe & palliis ornare:ac delectabantur iis velut equis ad certamen exultantibus & ferocientibus. Itaque quamvis comam, ubi adulti E erant, alerent, potiſſimùm imminente pugna concinnabant eam,ut nitida appareret & diſcriminata. Adducunt etiam Licurgi de coma dictū: Formoſos eam venuſtiores reddere,deformes horridiores. Exercitationibus quoque utebantur per bellum mollioribus, & reliquam quoque vitam minùs aſtrictam & obnoxiam dabant juventuti. *Plut. in Lycurgo.* Apud Xenophontem certè Clearchus Spartanorum, qui Cyro contra fratrem Artaxerxem Perſarum regē militarunt,dux ad pugnā ſeſe parans,comā priùs pectine diſcriminaſſe ſcribitur.

Poſteàquam Pelopidas tyrannide, & præſidio Spartanorū Thebas liberavit, magnis copiis Bœotiam Lacedæmonii invaſerunt. Trepidantes Athenienſes renuntiaverunt Thebanis ſocietatem:eoſque,qui cum Bœotis faciebant,judiciis afflixerunt,partimque morte affecerunt,partim egerunt in exilium,nonnullos pecunia multaverunt.Pelopidas Bœotarches cum Gorgida id videns,ut Athenienſes Thebanis iterùm cōciliaret,hoc ſtratagemate uſus eſt. Sphodrias Spartanus ad Theſpias fuit,ut perfugas Thebanorum reciperet, adjuvaretque. Ad hunc Pelopidas privatim mercatorem quendam ſibi familiarem cum numis ablegat, clam & cum hac inſtructio- F ne: Præſtare majora aggredi, & capere ex improviſo ſecuris Athenienſibus Piræeum; nihil enim perinde Lacedæmoniis expectatum fore, cum tenere Athenas: neque Thebanos iis infeſtos, qui eos proditorum loco habeant, laturos opem. Inductus Sphodrias nocte ſigna movit in Atticam, atque Eleuſina uſque progreſſus eſt. Inde ignavia militum re infecta, cùm detectum conſilium eſſet,& bellum contigiſſet Lacedæmoniis non mediocre, agmen Theſpias reduxit. Hinc ſociaverunt Thebanis arma Athenienſes promptiſſimè, mareque aſſeruerunt, ac circumvecti Græciam, receperunt & allexerunt eos,qui ſpectabant ad defectionem. *Plut. in Pelopida.*

Dionyſius Syracuſanus bellum illaturus Carthaginenſibus, Rheginos Meſſenioſque contemplatus, quorum urbes ſitæ ad portum erant, magnas olim copias inſtruxiſſe, verebatur, ne Carthaginenſibus in Siciliam advectis adjungerentur. Ergo magnam Meſſeniis agri finitimi partem tradidit, eoque beneficio ſibi reddidit obnoxios. Legatis ad Rheginos miſſis, petiit, ut ex virginibus civibus unam eligerent, quam ſibi uxorem traderent, pollicitus ſe pro iis meritis magnam contermini partem comparaturum illis, urbemque, & opes in poſterum ejus populi pro viribus aucturum. G Quibus tyranni amicitiam reſpuentibus, à Locrenſibus hoc ipſum impetravit. *Diod. l.14.*

Elico Helvetius, fabrilem operam Romæ exercens, Gallos ſuos populares, ficum ſiccam, uvam, oleumque ac vinum in patriam vehens, ad Italicam expeditionem ſub Tarquinio Priſco primùm ſubanimaſſe fertur. *Teſt. eſt Plin. lib. 12. c.1. & Liv.*

Brevius Rex Gallorum, volens ſuis perſuadere, ut expeditionem in Græciam ſuſciperent,convocatis in concionem viris & mulieribus,produxit captivos Græcos viliſſimis corporibus, & infirmiſſimis præditos, capitibus raſos, & ſordidis palliis amictos: juxtaque eos maximos Gallorum collocavit, & ſpecioſiſſimos, Gallicam armaturam indutos. Hoc facto: Nos, inquit, tanti ac tales, contra homines tam imbelles & parvos bellum geremus. Hoc modo Galli contemptis Græcis, adducti ſunt, ut proficiſci cum exercitu in Græciam non dubitarent. *Polyæn. l.7.*

In fœdere, quod Romulus cum Albanis ſanxit, diſertè fuerat expreſſum, ut neutra civitatum bellum inchoaret, H atque utra ſe læſam aliquando quereretur, ab injuriæ auctoribus juſta reciperet. Quòd ſi non redderentur, tum neceſſariò ruptis fœderibus indiceretur bellum. Regnabat Albæ C. Civilius. Ferebat is iniquo animo, rem Romanam in dies augeri: & diſcordiæ cauſam inter cognatas urbes quæritans, Albanorum egentiſſimis auctor extitit, ut Romanos fines latrocinio infeſtarent, impunitatem facti pollicitus. Romani & ipſi tali injuria inſtructi, invicem ex Albano agro prædam agere, latronum etiam quibuſdam interfectis. Miſſi itaque legati Romam res repetitum. Tullus Hoſtilius rex haud ignarus, ad quid veniſſent, confeſtim ire jubet Albam, qui & ipſi res priùs ibi, quàm Romæ reſponſum ullum Albanis daretur, publicè repoſcerent: Ipſe interim comiter eos, qui ad ſe venerant,complexus, regio convivio adhibet. Qui Albam ire juſſi fuerant, interim mandata peragunt. Certum habuit Hoſtilius fore, ut Albani res non redderent: ſicque præſentis belli culpam penes eos fore, qui priùs poſtulata non feciſſent. *Sab. l.4. ex Enn.4. Liv.*

Volſcorum dux Accius Tullus ad bellum inferendum Roma-

A Romanis maxima cupiditate accenſus, cùm aliquot adverſis præliis contuſos animos ſuorum, & ob id paci proniores animadverteret, inſidioſa ratione,quò volebat, compulit. Nam cùm ſpectandorum ludorum gratia magna Volſcorum multitudo Romam conveniſſet, Conſulibus dixit, Vehementer ſe timere, ne quid hoſtile ſubitò molirentur: monuitque, ut eſſent cautiores; & protinùs ipſe urbe egreſſus eſt. Quam rem Conſules ad Senatum retulerunt. Qui,tametſi nulla ſuſcipio ſuberat, auctoritate tamen Tulli commotus, ut ante noctem Volſci abirent, decrevit. Qua contumelia irritati, facilè impelli potuerunt ad rebellandum. Ita mendacium verſuti ducis, ſimulatione benevolentiæ involutum, duos ſimul populos fefellit: Romanum, ut inſontes notaret: Volſcum, ut deceptis iraſceretur. *Valer. lib.7. c.3.*

Q. Fabius Max. qui egregiè ſciebat, & Romanos ejus eſſe libertatis, quæ contumelia exaſperaretur, & à Pœnis nihil juſtum aut moderatum expectabat, miſit legatos Carthaginem de conditionibus pacis. Quas cùm iniquitatis & inſolentiæ plenas attuliſſent, exercitus Romanorum ad pugnandum concitatus eſt. *Front. lib.1. cap.11.*

B M. Cato major Carthaginem, & ad Maſiniſſam Numidiæ regem, qui bellum inter ſe gerebant, ad inſpiciendas armorum cauſas fuit miſſus. Fuerat hic à primo amicus populi Romani: illi ab Scipione bello victi, pacem à populo Romano acceperant, imperiique ademptione & gravi vectigali fuerant refrenati. Qui cùm eam civitatem, non pro populi Romani opinione, offendiſſet afflictam vel infractam, verùm magna juventutis ſobole florentem, magna affluentem opulentia, omni genere armorum & apparatu bellico refertam,quæ res Pœnis non mediocres ſpiritus darent: tempus exiſtimabat eſſe, non ut res Numidiæ & Maſiniſſæ componerent, & diſceptarent Romani, ſed niſi civitatem oppreſſiſſent antiquitùs inimicam & exacerbatam, quæ ſupra quàm credi poſſet, invaluerat, paria pericula ipſos incurſuros. Igitur properè reverſus docuit ſenatum, non tantum ſuperiores clades & vulnera Cathaginenſibus virium quantum imprudentiæ detraxiſſe: ac propè eſſe, ut non infirmiores eos, ſed expertiores ad bellum faciendum reddiderint. Nunc verò etiam præludia belli Romani agitare bellum Numidicum: pacem & fœdus prætexere belli more, dum op- C portunitatem expectant. Adhæc fertur Cato ficos Africanos, togam excutiendo, in curia conſultò effudiſſe: quorum cum admirarentur magnitudinem & ſpeciem, dixiſſe eum quæ hos ferat tellus, tridui navigatione ab Roma diſtare. Illud verò jam violentius, quòd quacumque de re diceret ſententiam, ſemper hoc addiderit: Hoc cenſeo, & Carthaginem delendam. Contra P. Scipio, Naſica dictus,perpetuò pro ſententia dicebat: Cenſeo Carthaginem relinquendam. Multa enim cum populum procacitate videret admittentem, & ob ſecundum rerum curſum atque ferociam ſenatui minùs dicto audientem, totamque rempub. ob nimiam potentiam, quò nutu vergeret, ſecum trahentem: volebat hunc certè timorem pro freno moderatorem contumaciæ injectum multitudinis: minùs cenſens pollere Carthaginenſes, quàm ut ſuperarent Romanos, & plus, quàm ut contemnerentur. Id ipſum Catoni anceps viſum, laſcivienti populo, & crebrò ex licentia offendenti, urbem antiquitùs quidem magnam, tum verò etiam, quòd fracta eſſet ærumnis, ſobriam imminere: quin potiùs metus externos imperii eſſe ſemel excindendos, & emerſiones ei ex inteſti- D nis erratis relinquendas. Ita ſuſcitaſſe Cato dicitur tertium & ſupremum bellum Punicum. *Plut. in Catone.*

Valentinianus II. Italia & Africa exutus à Maximo, ad Theodoſii Magni opem implorandam cum Juſtina matre Theſſalonicam fugerat. Conſiliis de Maximo ulciſcendo habitis, & aliis quidem arma primo quoque tempore inferenda cenſentibus, Theodoſius in eam ſententiam erat pronior, ut ad vitandum civile bellum res antè per legatos tranſigeretur: & ſi Maximus Italia atque Africa ultrò cederet, priore diviſione (qua ei Britannia, Gallia & Hiſpan. permiſſa fuerat) ſtaretur: ſi eo contentus non eſſet, bello vindicaretur. Nemine autem adverſus eum hiſcere audente, Juſtina ad eum acceſſit, atque adducta ſecum Galla filia eximiæ pulchritudinis virgine, ad genua procubuit, orans, ne Gratiani inultam cædem relinqueret, à quo tantum principatus faſtigium accepiſſet, neve ſe proſtratas, atque omni alia ſpe deſtitutas jacere diutiùs fineret: atque interea puellā lacrymantem, ac fortunam ſuam deplorantem ei obtulit. Theodoſius verò puellæ ſpecie captus, eam in matrimonium poſtulavit (nam Placilla uxor diem ſuum objerat) eamque à Juſtina accepit, cum eo, ut nullam bello ſuſci- E piendo moram afferret. Hæc *Hoſimus.* Quem falſum eſſe oſtendit Marcellinus, qui biennio antè Gallam Theodoſio nupſiſſe notavit. Itaque placet magis, Theodoſium rei indignitate, & Valentiniani neceſſitate permotum, ultrò arma ſumpſiſſe. *Sig. lib.9. Imp. occid.*

Narſes Eunuchus Alboinum regem Longobardorum cum popularibus ſuis ad invadendam & occupandam Italiam invitavit, pretioſis nonnullis frugibus, quæ in terra ſeruntur Italiæ, muneris loco ad illiciendos imperitæ multitudinis animos miſſis: ut terram cùm cœli temperie ac ſitus amœnitate præſtantem, tum verò rerum omnium copia ad incolendum optabilem eſſe oſtenderet. *Sigon. lib.1. regni Ital.*

Clotildis Clodovei F. & Childeberti, Clotharii atque Theodorici regum Francorum ſoror, ab Almatico rege Viſigothorum Ariano, cui nupſerat, ipſa pia ignominiosè duriterque tractabatur. Via euntem, cœno lapidibuſque inceſſabant. Saucia imbutum cruore ſudarium ad fratres reges miſit: quibus veluti literis ſanguine exaratis perciti ira Franci in Viſigothos ducunt. Cæſus Almaricus,reducta in Fran- F ciam Clotildis: nec ita multò poſt Viſigothi bello repetiti, Cæſaraugusta obſeſſa, coactaq; ſinceram religionem profiteri. Tunica Vincentii martyris, veluti ingentes exuviæ, Lutetiam aſportata, eique Divo ædes ſuburbana extructa, quæ nunc Germani eſt, anno Salut. 525. *Æmilius lib.1.*

Kennetus II. Scotorum rex, cujus patrem Alphinum Picti occiderant cum maxima parte nobilium, & militum regni, principes regionum convocatos hoſpitio & convivio dignatus eſt. Sequenti nocte in ſingula illorum cubicula, dum omnia ſilerent, ſingulos immittit homines, baculum manu dextra ex putri ligno, quod facis inſtar ſplendet in tenebris, geſtantes: veſte ex corio piſcium non deſquamato, quod leviter illuſtratum noctu mirum in modum ſplendet, induti. Siniſtra ori admovebant ingens bovis cornu, & per cornu boabant horrenda voce, Parendum eſſe regi, Pictos daturos pœnas ſcelerum, ſe nuncios à Deo miſſos. Facile fuit ſomnolentis imponere, quem neque venientes, nec abeuntes videre poſſent: nam veſtem involvebant, dum abirent, & baculum abſcondebant. Manè ubi ventum eſt ad conſilium, quiſque narrat, quod vidiſſet audiſſetque. Rex G metuens,ne fabula proditet in publicum, docet id ſibi etiam viſum, eoſque admonet,ne profanando revelationes, celeſte numen infenſum reddant. Sic nemine fucum agnoſcente, in bellum conſentiunt, fuitque eventus non minùs, quàm oraculo divino reſpondens: ſi quidem victi Picti ſemel, bis, terve, ad extremum deleti ſunt à Scotis ad interneccionem. *Cardan. de Rer. var. lib.15. c.86. ex H. Boetii lib.10.*

Sardiniam & Corſicam à Saracenis jam inde à Caroli Magni temporibus occupatas cùm Pontifex Romanus acerbiſſimè ferret, propoſito diplomate indulſerat, ut qui eas occupaſſet, ſibi haberet, dummodò Chriſtianos ſævo Saracenorum imperio liberaſſet. Quo edicto incitati Piſani Sardiniam, Genuenſes Corſicam ſub annum Sal. 1005. invaſerunt. *Sig. lib.8. regni Ital.*

Gregorius VIII. Pp. ad ſacrum bellum ann. 1187. euntibus, ſi in pœnitentia peccatorum, & fide recta deceſſerint, plenam criminum indulgentiam, & vitam æternam pollicitus eſt. Bona quoque, ex quo Crucem aſſumpſerint, ſub S. R. Eccleſiæ protectione erunt, Epiſcoporum atque Abbatum in cujuſque civitate fidei commendata: neque ipſi ul- H lam interim de iis, quæ in ſuſceptione Crucis poſſederint, donec redierint, controverſiam patientur. Moniti verò, ne eant in veſtibus precioſis, cum canibus, atque avibus, aut aliis, quæ oſtentationi potiùs & laſciviæ, quàm neceſſariis videantur uſibus inſervire, ſed modeſto apparatu & habitu, in quo pœnitentiam potiùs agere, quàm inanem affectare gloriam videantur. *Sigon. lib.15. regni Ital.*

Greg. IX. cum pop. Rom. inclinare ad Frideric. II. Imper. cerneret, Apoſtolorum Petri & Pauli capita cepit, & lacrymabili voce ſanctorum reliquias populo commendans, ita omnium animos immutavit, ut qui antè rebelles atque hoſtes erant, contra Fridericum arma caperent. *Fulg. lib.8. cap.10. & Ebnat. l.8. c.10.*

Eugenius III. occupata à Saracenis Edeſſa, Urbani exemplo Crucem iterùm ſibi indicendam, ac totum Occidentem ad arma capienda concitandum putavit: atque ita litteras ad omnes Reges ſuper hac re miſit, omnia dona pollicitus, quæ ab Urbano conceſſa eſſent, his verbis: Bona, uxores, filios eorum, qui Crucem ſuſceperint, in ſancta Eccleſia noſtra,

Ar-

A Archiepiſcorum, Epiſcoporum, & aliorum procerum eccleſiæ tutela manere decernimus. Præterea ne quis de bonis, quæ in Crucis ſuſceptione habuerit, ullam, donec domum redierit, ſubire controverſiam poſſit, nec ſi ære merſus alieno fuerit, uſuram ſolvere teneatur, cavemus: qui pecunias mutuas à dominis feudi impetrare nequiverint, eos poſſeſſiones hominibus Eccleſiaſticis oppignerare poſſe concedimus. Ne verò veſtibus induti precioſis, nec culto corpore, nec cum canibus & accipitribus, aut aliis rebus luxuriem indicantibus eatis, monemus. Demùm ex Urbani inſtituto, omnipotentis Dei & S. Petri Apoſtolorum principis auctoritate nobis à Deo conceſſa freti, peccatorum remiſſionem ita concedimus, ut qui tam ſanctum iter ſuſceperint, ſive in eo perierint, omnium delictorum ſuorum, quæ ritè confeſſi fuerint, abſolutionem obtineant. Literis Eugenii in Franciam de ſacra expeditione perlatis, Bernardus Clarevallenſis Abbas palam Crucis ſuſceptionem flagranti animi ſtudio, & ſumma orationis gravitate prædicare inſtituit: veniſſe tempus inclamans, quo plenitudo gentium introire deberet, & ſic omnis Iſrael ſalvus fieret. Quæ verò
B dicebat, ea mirabilium ſignorum magnitudine cumulabat: ſiquidem ſatis conſtat, nullum diem fuiſſe, quo non ægros aut debiles, aut membris captos aliquos ſibi oblatos ſanaverit. Quibus rebus impulſus rex Ludovicus, in Syriam proficiſci conſtituit: atque ita conventu in Paſchate Viceliaci habito, Crucem, ipſo præbente Bernardo, cum pleraque Franciæ nobilitate ſuſcepit: atque indè itineri adornando ſe tradidit. Hoc idem pari animorum alacritate ac ſtudio univerſa fermè Francia fecit, uſque adeò, ut ſcribens ad Eugenium de multitudine eorum, qui irent, Bernardus dixerit, Exhauriri urbes & oppida, nec penè inveniri, quem ſeptem mulieres virum unum prehenderent, quòd ubique viventibus viris viduæ remanerent. Mox etiam Spiram acceſſit, ac plurimùm adventu ſuo omnium in ſe ora convertit. Mirabantur homines eloquentiam, ſuſpiciebant eruditionem; ſed præcipuè ſanctitatis opinione permovebantur, quam mirandis operibus edendis ipſe de ſe excitaverat: facilèque adeò Conradum regem Germanorum in eam ſententiam & Pontificis literis, & Franciæ regis auctoritate propenſum adduxit, ut ſtatim Crucem acciperet. Cujus exemplo & volun-
C tate Fridericus quoque, Friderici fratris filius, qui poſt ipſum imperavit, & maximus quiſque Germaniæ princeps eandem, ipſomet omnibus miniſtrante Bernardo, ſuſcepit. Ratiſponam omnes, quæ Syriam petituræ erant, copiæ, ex tota Germania pedeſtris equeſtriſque militiæ convenere, quæ ad ducenta millia acceſſiſſe dicuntur. Narrat Choniata ſcriptor Græcus, ac pro re in primis memorabili prodit, in eo exercitu mulieres multas fuiſſe, quæ virtutem veterum Amazonum imitatæ, virili more equis, cruribus inter ſe diſcluſis, inſederint, atque haſtas & arma, ut cum Saracenis concurſuræ, geſtarint. Cæterùm nulla re memorabili geſta, exercitu maxima ex parte fame & peſtilentia & veneno confecto, anno 1149. domum revertere. *Sigon. lib.*11. *regni Ital.*

Urbanus II. Pontifex, cùm in Italia nullibi quietis locum cerneret, in Gallias abiens, Concilio apud Clarum montem habito, ita principes Galliæ ad recuperandam Hieroſolymam à Saracenis jam diù occupatam animavit, ut anno Sal. 1084. trecenta millia hominum nomen in militiam Chriſti dederint, ſignumque Crucis ſuſceperint. Quo facto, Ro-
D mam ſtatim rediit, ut compoſitis in Italia rebus, Italos ad eam quoque rem animaret. *Platina.*

Bretislaus Boemorum princeps, cum mortuo Meſcho Poloni principe carerent, miſit fœcialem, qui res Boleslai avi ſui à Boleslao rege in Polonia interceptas repeteret. At illi arroganter fœciali reſpondent, ſe non priùs, quàm reſtituta Polonis Praga, de reſtituendis Bretislao rebus cogitare velle: nunc cogitandi otium non eſſe. Bretislaus, funem ex ſubere, in torqueis modum intortum, circum vicos & pagos undequaque ferri jubet, cum hac ſevera denunciatione: Suſpendio illum periturum, quiſquis idoneus militiæ repertus, illam obire detrectaverit. Major etiam quàm uſus poſcebat, militum numerus, hoc metu propoſito, intra breve tempus contractus fuit: domique ſunt relicti inhabiliores, & tantummodò ſelectiores ſtipendia facere juſſi. Itaque ann. 1038. Bretislaus Cracoviam occupavit, arcem Sydecam expugnavit, Gneſnam diripuit, Uratiſlaviam & Poſnaniam cepit. *Dubr. lib.*7.

Florentini, Philippi Vicecomitis Mediolanenſis potentiam veriti, qui Genua potitus, & Alfonſo rege ex Italia ejecto, ad imperium Italiæ aſpirabat, Venetos miſſis legatis non E ſemel fruſtrà de mittendis auxiiiis ſollicitarunt. Tandem Nicolaus Uſanus, vir prudentiſſ. ultrò Venetias profectus, enumeratis cladibus Florentini populi, cùm egeſtatem ærarii, alienatos à ſe vicinorum animos, quantoque in periculo ſalus civitatis verſaretur, omnes edocuiſſet, noviſſimè addidit, Nos, quandoquidem à vobis repellimur, Philippum regem facimus. Vos poſtea Cæſarem vel inviti facietis. Ea verba cùm indignantis & præceps conſilium capientis eſſe viderentur, inflexerunt tandem Venetorum animos, fœduſque contra Philippum cum Florentino populo ictum eſt, anno Sal. 1425. *Bracellus lib.*1. *belli Hiſp.*

Cùm Ecelinus tyrannus, qui totam ferè Venetiam occuparat, Mantuam obſideret, Alexander IV. Philippum Fontanenſium Archiepiſcopum Ravennatem Venetias properè miſit, qui prædicata Chriſti cruce, comparatoque exercitu, Anſelmum, Ecelini ex uxore nepotem, è Patavio expulit. Ejuſdem juſſu Theologi quidam ordinis Minorum Brixiam miſſi, eò prædicando civitatem deduxere, ut & Guelphos extorres reciperent, & partes Eccleſiæ ſequerentur. *Platina.* F

Bello Liguſtico IV. periclitantibus tota continentis ora Venetis rebus, cùm non eſſet, unde commeatus, auxilia, & ſtipendia, ad ſuſtinendum belli onus, expedirentur: viſum eſt Venetis ad Leopoldum Auſtriæ ducem mittere, qui publico nomine Tauriſium illi cum ſuis finibus traderet: à quibus niſi Fr. Carrarienſis Patavinus poſtea abſtinuiſſet, quod haud facturus credebatur, non dubium erat, quin Auſtrius ſubitò in Italiam cum quàm maximis poſſet copiis eſſet venturus: ſicque externis opibus civitatem magna terreſtris belli parte levatum iri, quæ maritimo ſatis ſuperque eſſet occupata. Atque in hunc modum Veneti Tauriſium amiſere, anno pòſt tertio ac quadrageſimo, quàm Scalanis illud ademerant. Sed ea fuit patrum conſtantia in celando tantæ cladis dolore, ut legatos etiam ad Leopoldum miſerint, qui illi felicem acceſſum novumque Tauruſii principatum gratularentur. *Sab. lib.*7. *Decad.*2.

Carolus Balbianus à Ludovico Sforcia miſſus ad Carolum VIII. Gallorum regem contra Aragonios exciendum, non priùs regem adiit, quàm ſingulos, quos gratia atque auctoritate potentes eſſe cognoverat, pollicendo præmia, atque docendo, quàm facilis ac expedita victoria foret, ad ca- G peſſendum bellum accendiſſet. *Iovius lib.*1. *Hiſt.*

A BELLO BELLIVE SOCIETATE DEHORTARI.

Cùm Crœſus Lydorum rex Chios & Inſulanos Græcos invadere tentaret, Biantem Prienæum, ſive (ut alii volunt) Pittacum Mitylenæum, qui Sardis regem convenerat, interrogavit: Ecquidnam in Græcia novi eſſet? Pittacus, ut à ſtolido incepto regem dehortaretur, & Græcis inſuper conſuleret, ficta oratione reſpondit: Inſulanos decem millibus equorum comparatis in animo habere Crœſum invadere. Tum ille: Utinam verò, exclamavit, dii hanc mentem Inſulanis dent, contra Lydos in continente ex equis pugnandi. Tum Pittacus: Et tu, ò rex, quid aliud inſulanos optare cenſes, quàm ut Lydos claſſe inſtructos in mari capiant? Hac oratione delectatus Crœſus, ab expeditione deſtitit. *Herodot. lib.*1. *& Polian. l.*1.

Crœſo Lydorum regi in expeditione contra Cyrum Perſarum regem Lydus quidam Sandanis ſic conſuluit: Adverſus tales viros expeditionem paras, ò rex, qui coriacea ſubligacula, quique è Corio reliquam veſtem ferunt: qui non H quibus volunt cibis veſcuntur, ſed quos habent, utpotè regionem aſperam incolentes. Ad hæc potu non vini utuntur, ſed aquæ: non ficos ad comedendum, nec aliud quidquam boni habentes. Quibus cùm nihil ſit, quod eripias victor: victus animadverte, quot bona amittes. Ubi enim guſtaverint illi noſtra bona, circumſiſtent nos, nec abigi poterunt. Equidem diis habeo gratiam, qui non induxerunt in animum Perſis, ut Lydis inviderent. At Crœſus, ſic agentibus eum fatis, à Cyro captus, regnoque exutus eſt. *Herod. lib.*1.

Artabanus Hyſtaſpis filius, Darii frater, nolebat Darium regem Perſarum ullo pacto Scythis inferre bellum, commemorans Scytharum inopiam, utilia ſuadens. Cùm tamen non perſuaderet illi, deſtitit à diſſuadendo. *Herod. lib.*4.

Thaſium oppugnabant Athenienſes. Legem juſſerant Thaſii: Qui ſcripſerit fœdus cum Athenienſibus faciendum eſſe, mortis reus eſto. Hegetorides Thaſius videns multos cives perire diuturno bello ac fame, laqueum injiciens collo, venit in concionem: & Viri, inquit, cives, me quidem, ut vobis li-

A bet, & quemadmodum vobis prodeſt, utimini. At reliquos & ſuperſtites cives mea morte conſervate, legemque antiquate. His auditis, Thaſii & legem abrogarunt, & Hegetoridem incolumem ſervarunt. *Polyæn. lib.*3.

Romani bellum faciebant Tarentinis, qui cùm pares illis armis non eſſent, neque poſſent ea ob ferocitatem & pravitatem concionatorum ſuorum deponere, deliberabant accire Pyrrhum Epirotarum regem & eum ducem facere belli, quòd præ cæteris regibus maximè eſſet in otio, & magnam belli gerendi peritiam haberet. At majores natu cives & ſani, partim cùm huic conſilio apertè reniterentur, clamore & impetu plebis exploſi fuerunt: partim ubi hæc videre, temperarunt concionibus. Unus Metòn nomine, probus vir, illuceſcente die, quo ſanciendum decretum erat, cùm populus conſediſſet, ſumit ebriorum more coronam marcidam & faculam, ac tibicina præeunte ludibundus eſt concionem ingreſſus. Ibi, ut fit in multitudine liberæ civitatis incompoſita, alii ad id ſpectaculi applaudebant, ridebant alii, nemo interpellabat: imò hortabantur etiam, procederet in medium, & mulierem, ut tibia, illum, ut voce cane-
B ret; idque opinabantur facturum. Silentio facto: Benè facitis, inquit, Tarentini, qui ludere & ſaltare cuilibet, dum licet, permittitis. Quòd ſi ſapitis, vos item fruemini libertate: quando alia negotia, alia vita & vivendi ratio erunt ſumenda, ubi urbem Pyrrhus ingreſſus erit. Moverunt ea verba plebem Tarentinam, ac murmur dictis aſſentientium pervaſit concionem. At qui timebant à Romanis, ne ſi pax conveniſſet, ipſi dederentur, increpitaverunt populum probris, quòd tam petulante ludibrio haberi ſe & oſtentui ferret leniter, Metonemque globo facto ejecerunt. Ita decreto facto legatos mittunt in Epirum, qui non ſuo tantùm, ſed Italicorum etiam nomine dona Pyrrho ferant, eumque ducem ſibi dari petant. Venit ille. At dum cives mollitiei aſſuetos ad militarem victum traducere conatur, multi illorum ſolum exilio verterunt parendi inſolentia. *Plut. in Pyrrho.*

Cineas Theſſalus, auditor Demoſthenis, legatus Pyrrhi, regem à Tarentinis vocatum contra Romanos cernens flagrare cupiditate Italicæ expeditionis, ſermones intulit per otium hujuſcemodi: Bellatores Pyrrho feruntur Romani, & bellicoſis gentibus imperare multis: quos ſi Deus ſupera-
C re conceſſerit nobis, quò utemur victoria? Cui Pyrrhus, Illicò totam tenebimus Italiam. Tum Cineas: Occupata, inquit, Italia, rex, quid agemus? Et Pyrrhus: Vicina, infit, Sicilia eſt, manus porrigit dives inſula & populoſa & captu facilis. Probabilia, inquit, narras, Cineas. Sed quid? num Sicilia occupata finis erit belli? Minimè verò, ait Pyrrhus: Qui enim Africa temperet & Carthagine, quæ tum erit ad nutum: quam profugus clàm ex Sicilia cum paucis navibus trajeciſſet, penè cepit Agathocles? Quibus ſuperatis, & Macedoniam recuperare, & Græciæ ſine dubio imperium occupare poterimus. Verùm ubi rerum potiti erimus, quid tum? Ridens Pyrrhus: In alto otio, inquit, vivemus, bone vir, compotabimus quotidie, & mutuis inter nos ſermonibus oblectabimus. Huc Cineas Pyrrhum cùm deduxiſſet ſermone: Et nunc quid, inquit, obſtat, quò minùs compotemus, atque otium inter nos traducamus: cùm jam teneamus hæc, & citra negotium ad manum ſint, quæ per ſanguinem, per multos ſudores, per diſcrimina petituri ſumus, multaſque calamitates allaturi aliis & accepturi? His verbis Pyrrhum Cineas fatigavit magis, quàm deterruit.
D *Plut. in Pyrrho.*

Eudamidas, Agidis frater, Archidami filius, cùm quidam, cõmemorando laudem ac trophæa, quæ Lacedæmonii ex rebus cum Perſis præclarè geſtis retuliſſent, hortaretur ad bellum cum Macedonibus ſuſcipiendum: Ignorare mihi videris, inquit, iſtuc idem eſſe, ac ſi quis devictis mille ovibus pugnaret cum quinquaginta lupis. Significans, Perſas, ut deliciis effeminatos, & ob id imbelles, non fuiſſe difficile vincere; ſed aliud eſſe cum Macedonibus, viris fortiſſimis pugnare. *Plut. in Apoph. Lacon.*

Molientibus bellum in Bœotios Athenienſibus, Phocion dux vel invitus electus, primùm repugnavit, monentibuſque amicis, occiſuros ipſum Athenienſes, ſi eos pergeret offendere: Injuria, inquit, ſi quod è repub. eſt, faciam: ſin ſecus, jure. Ubi eos videt nihilo remiſſiores, ſed obſtrepentes ſibi, pronunciare juſſit præconi, ut Athenienſes omnes, qui à pubertate intra ſexaginta annos eſſent, cum quinque dierum cibariis confeſtim ſe à concione ſequerentur. Ibi magna turba excitata, vociferantibuſque & exilientibus natu grandioribus: Quid hoc eſt, inquit? Ego dux annos natus octoginta vobiſcum ero. Ea ratione repreſſit, & reflexit illos. *Plut.* E *in Phocione, & Politicis.*

Scorylo dux Dacorum, cùm ſciret diſſociatum armis civilibus populum Rom. neque tamen tentandum arbitraretur, quia externo bello poſſet concordia inter cives coaleſcere: duos canes in conſpectu popularium commiſit: hiſque acerrimè inter ſe pugnantibus, lupum oſtendit, quem protinùs canes, omiſſa inter ſe ira, aggreſſi ſunt. Quo exemplo prohibuit Barbaros ab impetu Romanis profuturo. *Front. l.*1. *c.*10. *At Pontan. l.*5. *c.*1. Concionem vocat. Alii Scorium.

Conſultantibus Carthaginenſibus de bello Romanis inferendo, cùm in ſenatu Magon Annibalis frater clades tot Romanorum à Carthaginenſibus acceptas commemoraſſet, & quidam Barchinæ factionis percunctatus eſſet, An belli, quod in Italia gererent, adhuc pertineret? Hanno ſenator nobilis ſubintuliſſe dicitur: Ecquis ex urbe Roma poſt tot clades acceptas ad Annibalem veniſſet petiturus? An Romæ ulla pacis mentio facta diceretur? Cùm ille utrumque negaſſet: Bellum, inquit Hanno tam integrum & periculoſum hodie, quàm à principio, cum Romanis habemus. Variatum eſt diu circa Siciliam priore bello: verùm qualis fue- F rit exitus, nemo eſt veſtrum, qui non aut viderit, aut fando audiverit, & nunc maximè vereor. Nam ſi (quod nolim) fortuna variare cœperit, fruſtrà pacem imploremus, quam nobis vincentibus nemo detulit. *Sab. l.*4. *c.*8.

Clem. VII. à Cæſarianis Romæ obſeſſo, Florentini juvenes libertatis recuperandæ occaſionem ſecuti, occupata curia, decretum perſcripſere, quo Medicei adoleſcentes Hyppolitus & Alexander Reip. hoſtes declarati ſunt. In promulgando autem decreto, Coſmus Saxetus podagricus, nec inſulſus ſenator, vultu reſupino & ferè oſcitanti, ſublata voce interpellans præconem interrogavit, An ipſe etiam Papa Clemens eadem, qua gentiles ejus, exilii & capitis pœna damnaretur? Et id quum altiore voce proboque nutu præconis, par & equum eſſe ſubderetur: Vos ergo, inquit, videritis cives, qui nihil libera patria charius habere vultis, an vobis, ab hac mox injuria factis interdictis, familiari pane veſtro ſatis piè veſci liceat. Quod falsè dictum univerſæ concioni riſum commovit. At ut verè dictum fuit, ita non multò poſt temerarii cœpti ſeditioſa plebs pœnas dedit, libertate miſeris civibus prorſus erepta. Nam poſt annuam obſi- G dionem, annona abſumpta, ærario exhauſto, Clementi ſe dedidere, & Cæſaris voluntate Alexandrum Medicem, Clementis nepotem, Caroli V. generum, Ducis nomine ſuſcepere, anno 1531. *Sab. ſupplem. l.*1. *& ſeq. ex Iovio.*

BELLI SUSCIPIENDI GERENDIQUE TEMPUS.

Ex Tit. Tempus pugnæ opportunum, quædam huc particularia exempla accommodari poſſent, niſi quod hic Tempus Belli gerendi, illic dum bellum geritur Tempus Pugnæ conſideratur.

Julius II. initio pontificat. omnibus in rebus tam moderatè ſe geſſit, ut admirationem minimè mediocrem in hominum mentibus excitarit, quòd is, qui Cardin. cùm eſſet, ſemper vaſtis immoderatiſque cogitationibus turgidus extitiſſet: Xiſti quoque, Innocentii, & demùm Alex. VI. Pontificis temporibus, ſæpiùs Italiæ turbandæ inſtrumentum fuerat: nunc ad pontificatum promotus, hos tam ardentes ſpiritus poſuiſſet, & nullum ne injuriarum quidem ulciſcendarum ſignum ederet. At in Julio longè alia mens erat, & in hominum de ſe expectatione ſuperanda animo fixus, contra priſtinam magnanimitatis ſuæ conſuetudinem, ut ingentem pecuniæ vim cumularet, omni ſtudio operam dederat, H dabatque, quo belli accendendi cupiditati, qua flagrabat, ejus ſuſtinendi facultas & nervus accederet: cumque anno 1506. jam auro non parùm abundaret, conſilia ſua res maximas ſpectantia aperuit, tanto quidem ſucceſſu, ut Venetis imperium & eripuerit, & reſtituerit, pro libito. *Guicciard. l.*7. ☞ *Vide infra Tempus belli gerendi.*

BELLI GERENDI LOCUS.

Sub Tit. Hoſtes avertere, revocare, exempla ea, quæ ad præſens bellum pertinent, recenſebuntur. At huc ea quæ ante bellum.

Pericles pro ſuſcipiendo bello Peloponneſiaco ſententiam dixit, Atticam hoſtilem agrum eſſe ducendam, & permittendam, ut vaſtetur: Laconicam verò claſſe invalidam, unam pecuniæ parandæ rationem putandam, naves quàm plurimas habere: alias verò extra illam rationes nullius momenti exiſtimandas: cujuſmodi eſſet, pecunia quæ in ſpectacula, in judicia, & in conciones inſumeretur. Suadebat igitur, ut omnes ſumptus, qui in hac impenderentur, navibus aſſignarentur. *Suidas.*

Archi-

A Archidamus Ageſilai, bello, quod cum Philippo geſſit, conſulentibus, procul domo conferendam pugnam: Atqui non hoc, inquit, ſpectandum: cæterùm ubi ſtrenuè pugnando hoſtes ſuperemus. *Plut. in Apoph.*

BELLI GERENDI MODUS, STATUS
Belli Frontino dictus.

Hic in univerſum de Statu belli, exempla peculiaria in ſeq. paſſim annotabuntur.

Lycurgus roganti, Qua de cauſa vetuiſſet oppugnari turres? Ne, inquit, à fœmina, puerove, aut ab alio quopiam homine puero ac fœminæ non diſſimili, viri præſtantiores occidantur. Non probavit prælii genus, in quo virtuti locus non eſſet. E turribus verò puer aut mulier dejectu ſaxorum poteſt virum quantumvis fortem interimere. Quis igitur locus virtuti in bellis noſtris, in quibus præcipuas partes agunt bombardæ? *Plutarch.*

Themiſtocles adventante Xerxe, quia neque prælio pedeſtri, neque finium tutelæ, neque obſidioni credebat ſufficere Athenienſes, auctor fuit eis liberos & conjuges Trœzena & in alias urbes amandandi, relictoque oppido, ſtatum belli ad B navale prælium transferendi. Idem fecit in eadem civitate Pericles adverſum Lacedæmonios. *Front. lib.*1. *cap.*3.

Byſantii adverſus Philippum omne præliandi diſcrimen vitantes, omiſſa etiam finium tutela, intra munitiones oppidi ſe receperunt: aſſecutique ſunt, ut Philippus obſidionalis moræ impatiens recederet. *Ibid.*

Alexand. Macedo cùm haberet robuſtiſſimum exercitum, ſemper eum ſtatum belli elegit, ut acie confligeret. *Ibid.*

Q. Fab. Maximus adverſus Hannibalem, ſucceſſibus præliorum inſolentem, recedere ab ancipiti diſcrimine, & tueri tantùmmodo Italiam conſtituit: Cunctatoriſque nomen, & per hoc ſummi ducis meruit. *Ibid.*

Haſdrubal Giſgonis filius, ſecundo Punico bello in Hiſpaniam ductum exercitum (cùm P. Scipio inſtaret) per urbes diviſit. Itaque factum eſt, ut Scipio, ne oppugnatione plurium oppidorum diſtineretur, in hyberna ſuos reduceret. *Ibid.*

L. Lucullus, profligato ad Rhyndacum amnem & Granicum Mithridate, ejuſque claſſe in Helleſponto disjecta, per Bithyniam & Galatiam in regnum Mithridatis invaſit, & excurſionibus omnem regionem uſque Themiſcyras & circa C Thermodontem vaſtavit. Militibus autem Mithridatem perſequi cogitantibus, priuſquam vires recolligeret: Lucullus idipſum ſe expetere reſpōdit, ut viribus collectis, ad pugnam progreſſus caperetur, quàm in ſolitudines fugiens, Tigranem generum regem regum contra Roman. excitaret. *Plut. in Lucullo.*

Eundem quum hortaretur Archelaus, ut relicto hoſte in Pontum trajiceret (ſic enim fore, ut protinùs omnium rerum potiretur) οὐκ ἔφη δειλότερος εἶ κυνηγῶν, ὥστε τὰ θηρία παρελθὼν, ἐπὶ κοίτας αὐτῶν φωλεὺς βαδίζειν, id eſt, Negavit ſe timidiorem eſſe venatoribus, ut præteritis feris, ad inania illarum luſtra vellet ire. *Eraſm. in Adagiis ex Plut.*

Q. Sertorius, ut efferatam multitudinem ad militarem diſciplinam traduceret, advocata concione, equos duos in conſpectum omnium producit: ſtrigoſum quidem alterum, macie anniſque obſitum, at validiſſimo robore alterum, cuteque nitidiſſima. Macilentum robuſtiſſimo dedit juveni, ut caudæ pilos ſimùl omnes unàque evelleret: nitidum autem ſeni imbelli obtulit, qui ſingulos pilos, alium ſcilicet poſt alium, evelleret. Hic igitur dum ſeorſim ſingulos evel- D lit, compos voti evaſit. At ille alter, quamvis brachiis niteretur robuſtiſſimis, vanum tamen conatum ejus eſſe, res ipſa docuit. Tandem Sertorius: Videtis, inquit, milites, quæ viribus corporis minimè cedunt, illa ingenii viribus cedere, quæque uno impetu ſuperari nequeunt, eadem paulatim ſuperari, opera aſſidua ac pertinaci adhibita: quòdque corporis vires ingenii ſuperentur acumine. Vos quidem concordes & unanimes in prælium progredientes, Romani nunquam ſuperabunt: palantes verò & diſperſos, facili negotio vincent. *Pontan. lib.*5. *de Prudentia, & Front. lib.*4. *cap.*7.

C. Jul. Cæſar bello civili, cùm exercitum veteranum haberet, hoſtium autem tyronem eſſe ſciret, acie ſemper decertare ſtuduit. *Front. in lib. cap.*4.

Quum M. Anton. claſſe cum Cæſ. Octavio ad Actium confligere vellet, quidam tribunus militum, vir fortis, & armis exercitatus, Antonio prætereunti, corpus ſuum multis cicatricibus inſignitum oſtendit, dicens: O Imp. cur his vulneribus, aut huic gladio parùm fidis, inque lignis fragilibus ſpem reponis? Sine, Phœnices & Ægyptii claſſe pugnent: E notitia Romanis terram da, in qua conſuevimus vel hoſtem vincere, vel mortem oppetere. *Plut. in vita Antonii.*

Expugnata Ptolemaide à Philippo Francorum & Richardo Anglorum regibus, inter captos erat quidam Characux nomine, prudentiæ fama nobiliſſimus. Hic à cuſtodiæ præfecto obſecratus, daret conſiliū bonum, quanā ratione Latini parare tuerique perpetuò ſacrum regnum poſſent: ille continuò velut inopinata re perculſus, ſublatiore voce, Proh dolor, inquit, hic dies excidium afferet genti noſtræ; petebatque, ut conſilii religione ſolveretur. At Franco nihil remittente: Terram ego, quæ vobis ſancta eſt, etiamſi nunc omnem in poteſtatem redigatis, nunquam jure veſtram vocitari poſſe denuncio, niſi Ægypti imperio everſo, Ægyptiorum ſpiritus ferociamque coerceatis. Nihilum frenetis: nec in equitatu peditatuve (ut hactenùs) omnem virtutis ſpem reponatis. Navalis gloria terreſtribus copiis addita, victoriam incruentam dabit. Damiata arx dominanda in primis, ut Hieroſolymitanum regnum quærere tuerique poſſitis. Hæc tunc ſurdis narrabat Characux, quibus ſi paruiſſent Latini, Oriens omnis Chriſti jugum poſtliminiò magna cum F Latinorum gloria ſubiiſſet. *Æmil. l.*6.

Genuenſes appulerant claſſem Joppen portum nobilem propinquumque. Præerat Gulielmus Ebriacus. Claſſis Ægyptiorum, quæ ad Aſcalonem ſtabat, ſoluit, Genuenſium naves nequaquam numero viribuſve pares aggreſſura. Illi neceſſaria re coacti, raptis ex claſſe, quæ uſui Hieroſolymitanæ obſidioni futura, agi ferrique poſſent, corruptis navibus, in caſtra univerſi ſe contulere. Periti erant omnis generis tormentorum machinarumque, & apparatus urbium oppugnandarum. Ab his nihil omiſſum, quod in rem foret. Itaque ex incommodo commodum exortum, & qui claſſe impares hoſti futuri erant, urbis ſanctæ expugnandæ auctores fuere. *Æmil. l.*4.

Franciſcus Sfortia primus veterem militiæ Rom. morem in militia pedeſtri revocavit, cùm equitatu tantùm peregrino duces mercenarii quæſtus cauſa uterentur. *Iovius lib.*3.

PRUDENTIA BELLICA CIRCA IMPERATORIS ANIMUM, QUATENUS PRUDENS. SIC EXPLORAT G

Hoſtium vires, conſilia.

☞ *Hic Imperatorem conſideramus, quatenùs agit. At reſpectu patientium hoſtium, de Explorandis arcanis hoſtium, poſteriùs agetur.*

Militum alacritatem, timiditatem.

☞ *Vide infrà, Militum delectus, Fortes, Timidi. Hìc Exploratio, illic Exploratorum Separatio perpenditur.*

Cùm Gedeon Joæ F. Manaſſenſes, Aſerianos, Zabulonios & Nephthalenſes contra Medianitas & Amalechitas educeret, Domini juſſu divinitùs monetur, plures eum copias habere, quàm ut ipſe eis Madianitas dedere vellet, ne contra Jovam gloriantes Iſraelitæ, jactarent ſe ſuo marte victoriam adeptos. Proindè proclamaret in exercitu, ut timidi qui eſſent, & meticuloſi, reverterentur, & ex morte Galaad diſcederent. Itaque reverſi ſunt 22. millia, relictis 10. millibus. Et Deus Gedeonem monuit, ut, quoniam nimis multi tum quoque eſſent homines, deduceret eos ad aquas, & quicumque aquam lingua more canum lambiſſent, hos ab eis ſecerneret, qui ad bibendum procubuiſſent in genua. Fuit autem ducta ad os manu lambentium numerus, trecenti: reli- H qui omnes in genua ad aquam bibendam procubuerunt. Per illos trecentos, qui lamberant, promiſit Jova Gedeoni ſeſe ei victoriam daturum contra Madianitas. Id quod ipſe eventus confirmavit. *Iudicum cap.*7.

Theagenes Athenienſis cùm exercitum Megaram duceret, petentibus ordines, reſpondit ibi ſe daturum: deindè clàm equites præmiſit, eoſque hoſtium ſpecie impetum in ſocios retorquere juſſit. Quo facto, quos tum habebat, tanquam ad hoſtium occurſum præpararentur, permiſit ita ordinari aciem, ut quo quis voluiſſet loco, conſiſteret. Et cùm inertiſſimus quiſque retrò ſe dediſſet, ſtrenui autem in fronte proſiluiſſent, ut quemque invenerat ſtantem, ita ad ordines militiæ provexit. *Front. lib.*4. *cap.*1.

Chabrias Athenienſis, ſi recèns collectum exercitum haberet, & pugnam initurus eſſet, per præconem jubebat, ut qui malè haberent, ſeorſim arma deponerent. Quotquot igitur erant timidi, morbum ſimulantes, arma deponebant. His ad pugnam quidem non utebatur, ſed ad præoccupanda loca munita, ut ſaltem ipſorum multitudo apparens metum

A tum hoſtibus faceret: occaſione verò data, ſtatim eos ſtipendiis privabat. *Polyænus lib.*3.

Iphicrates adverſus Lacedæmonios aciem ordinare incipiebat: complures ab eo petebant, hic ut ſe tribunum conſtitueret, ille ut ſe quingentis ducem præficeret: atque alius centurio fieri, alius manipulum ducere conabatur. Ille petentes omnes ad tempus opportunum rejecit. Quod cum veniſſet, aciei collocatæ ſeorſim imperat, ut panicum cieat, quaſi hoſtibus impetum facientibus. Cùm magna eſſet omnium perturbatio, timidi metu perculſi, fugam arripiebant: fortes verò progrediebantur, ut ſe hoſtibus opponerent. Iphicrates ridens confeſſus eſt, ſe panicum ciere juſſiſſe, ut periculum faceret, quinam poſſent duces agere. His igitur, qui manſerant, millenorum ac centenorum præfecturas dedit: iis verò, qui fugerant, mandavit, ut hos ſequerentur. *Idem.*

Epaminondas, cùm in Leuctris jam agmen inſtructum adduceret, Theſpienſes tergiverſantes ſequebantur, nec id latebat Epaminondam; ſed ne confunderentur ordines, inter pugnandum proclamare juſſit: Quicumque Bœotorum B diſcedere voluerit, ei licitum eſto. Theſpienſes cum ipſis armis abierunt. Epaminondas iis, qui manſerant, armatis, inſtructis & alacribus uſus, glorioſam victoriam adeptus eſt. Lacedæmonii verò, cum ſocios retinuiſſent, ab iis deſerti & proditi, cladem paſſi ſunt maximam. *Polyæn. l.*2. *& Pauſ. in Bœot.*

Agatocles tyrannus Carthaginem verſus navigationem inſtituens, delectum habuit, quinam unà navigare poſſent, & promulgavit, concedens, ut qui vitæ conſultum vellent, è navibus cum ſupellectile ſua egrederentur. Exierunt multi, quos univerſos, quaſi timidos & infidos, morte affecit: eos verò, qui manſerant, ob fortitudinem ac fidem laudibus evexit, & in Lybiam cum ſexaginta navibus trajecit. *Polyæn. lib.*5.

Militum ſcelus.

Neleus filius Codri, cùm regno pulſus, Athenas relinqueret, propterea quòd oraculum Apollinis, Medonti, qui in Coloniam ex urbe migraverat, imperium deſtinaret, ad Naxum non voluntate, ſed tempeſtate delatus appulit: ſolvere verò inde volentem, contrarii venti exorti prohibue- C runt. Qui cùm quid factu opus eſſet ambigeret, vates reſponderunt, oportere expiari & purgari exercitum, eò quòd multi ſimul navigarent, qui pollutis & contaminatis eſſent manibus. Itaque ſimulavit etiam ipſe ſe puerum trucidaſſe, & purgationis indigere. Sic alios, qui ſibi conſcii eſſent, etiam perſuaſit. Quod cum factum eſſet, patefactis jam, qui ſe contaminaſſent, eos reliquit. Illi Naxum inhabitarunt: Neleus autem pervenit in Joniam. *Ælian. lib.*8. *Var. Hiſt.*

SUSPECTA HABEAT HOSTIUM CONSILIA, inſidias.

☞ *Vide Tit. Hoſtem mora frangere.*

Auguſt. ſuis ducibus imperabat, ut maximè ſecuritatis curam agerent, & continenter hoc adjiciebat, Feſtina lentè. Nam cautus dux confidēti longè eſt præferendus. *Polien. l.*8.

NON PRÆCIPITET SUA DICTA, FACTAVE.

Iphicrates Athenienſis, quanquam plures milites haberet, quàm hoſtes, & vates omnia fauſta & egregia promitterent, tamen non ſtatuit prælium committere. Quæ cunctatio cùm præter opinionem hoſtibus accidiſſet: Sacra, inquit, in mea mente non permiſerunt pugnam committere. Nam D cùm multi eſſent milites, neque impetum facere ſimul poterant, neque clamorem tollere; ſed cum haſtam inclinare juberem, major dentum, quàm armorum fremitus exaudiebatur. *Polyæn. lib.*3.

Conflixit C. Jul. Cæſar dictator cum hoſte quinquagies collatis ſignis, quoties Rom. ducum nemo. Verùm exacta ętate, & jam ſeneſcere incipiens, cunctantior factus eſt ad ineunda prælia: veritus, ut credere eſt, ne fortunam, quam toties ſecundam fuerat expertus, adverſam ſemel experiretur. *Sab. lib.*1. *cap.*6.

OCCULTET SUA CONSILIA, FACTA, diſciplinam.

☞ *Conſule Tit. Securum hoſtem Diſſimulato irruptionis loco, aut Simulata quiete opprimere.*

Jaſon, cùm in animo haberet, urbem quandam Theſſalicam aggredi, juſſit prorsùs ignaros oppugnationis ad habendum delectum, accipiendumque ſalarium armatos convenire. Qui cùm omnes eſſent armati corporibus armiſque valentes, ſedentibus nuntii citato curſu ſuperveniunt, & hoſtes in agros impreſſionem feciſſe nunciant: tantoque ſpatio abeſſe, quanto diſtaret civitas, quam oppugnare inſtitue- E rant. Milites ad pugnam parati, rogavere, ne moram rebus injiciat, ſed quàm primùm ſe adverſus hoſtes ducat. Jaſon ad urbem copiis adductis, & irruptione facta, præter omnium expectationem ea potitus eſt, nemine præſciente, neque ex victoribus, neque ex victis. *Polyæn. lib.*6.

Ex tribus ſolis Rhetris, quas Lycurgus ſcripto edidit, una fuit, quæ prohibet, ne bello eoſdem repetant hoſtes, ut ne ſæpiùs exercitati armis exiſtant bellicoſi. Qua in re reprehenderunt imprimis poſtea Ageſilaum, quòd excurſionibus crebris aſſiduiſque in Bœotiam & expeditionibus, pares bellandi peritia Lacedæmoniis reddidiſſet Thebanos. Unde cùm ſaucium Antalcidas vidiſſet: Præclaram, inquit, refers à Thebanis mercedem, qui invitos & imperitos dimicare docuiſti. *Plut. in Lycurgo.*

Antigonus filio Philippo multis præſentibus percunctanti, Quando caſtra movebimus? Quid tu, inquit, metuis ne ſolus tubam non exaudias? *Plut. in Regum apoph.*

Pyrrhus Rex, Cleonomi Spartiatæ pollicita ſecutus, Lacedæmonem occupare in animo habebat. Pacatus igitur exer- F citus tamdiu inceſſit, quoad Spartiatarum ſint fines initi: tum latè in prædam & populationem eſt diſcurſum. Querentibus Lacedæmoniis, quòd ſe, bello haud indicto, contra jus gentium, hoſtiliter invaſiſſet: Nec vobis curæ eſt, inquit Pyrrhus, viri Spartiatæ, quod facturi eſtis, aliis denunciare. *Sab.*8. *En.*4.

Aratus Sicyonius patriam à tyrannide Nicoclis liberare ſtatuerat, Argis exulans. Inter hæc cum ſpeculatores aliquot Argis Nicoclis comparerent, & circumcurſitare rectè dicerentur, atque aſſervare Aratum: orta luce progreſſus, & oſtendens ſe, cum amicis in foro deambulavit. Hinc unctus in gymnaſio, abductis ex palæſtra nonnullis adoleſcentibus, qui potare ſecum & feriari ſolebant, domum eſt digreſſus. Mox conſpecti ſunt ſervi ejus per forum, hic coronas ferens, ille emens faces, alius cum mulierculis in convivio pſallere & tibia canere ſolitis colloquens. Hæc cùm exploratores omnia contemplarentur, ludificati ſunt atque inter ſe cachinnantes dixerunt, nihil meticuloſius tyranno eſſe: quando etiam Nicocles tanta ſuccinctus urbe & viribus, adoleſcentem paveat in delicias & compotationes diurnas exilii viaticum effundentem. At Aratus protinùs à pran- G dio egreſſus, ac militibus ad Polygnoti turrim conjunctus, movit in Nemeam: ubi cœpta ſua detexit multitudini, & nocte Sicyonem aggreſſus cepit, atque tyrannum ejecit. *Plut. in Arato.*

Q. Metellus Pius, cùm proconſul bellum in Hiſpania adverſus Celtiberos gereret, urbemque Contrebiam, caput ejus gentis, viribus expugnare non poſſet, viam reperit, qua propoſitum ad exitum perduceret. Itinera magno impetu ingrediebatur, deinde alias atque alias regiones petebat: modò hos obſidebat montes, paulò pòſt ad illos tranſgrediebatur, cum interim tam ſuis omnibus, quàm ipſis hoſtibus ignota erat cauſa inopinatæ ejus ac ſubitæ fluctuationis. Interrogatus quoque à quodam amiciſſimo ſibi Tribuno, quid ita ſparſum & incertum militiæ genus ſequeretur? Abſiſte (inquit) iſtud quærere: nam ſi hujus conſilii mei interiorem tunicam conſciam eſſe ſenſero, continuò eam cremari jubebo. Poſtquam verò & exercitum ſuum ignorantia, & totam Celtiberiam errore implicavit, cùm aliò curſum direxiſſet, ſubitò ad Contrebiam reflexit, eamque inopinatam & attonitam oppreſſit. Ergo niſi mentem ſuam dolos ſcrutari H coegiſſet, ad ultimam ei ſenectutem apud mœnia Contrebiæ armato ſedendum fuiſſet. *Valer. Max. lib.*7. *cap.*4. *& Front. lib.*1. *c.*1. *& Plut. in Apoph. & de Garulitate.*

M. Licinius Craſſus, percontanti, Quo tempore caſtra moturus eſſet? reſpondit: Vereris, ne tubam non exaudias? *Front. lib.*1. *cap.*1.

Q. Sertorius victus à Metello in Saguntinis campis, quò facilem ſuis fugam machinaretur, & moliretur ſibi novum delectum, in oppidum refugit montanum & munitum, ejuſque muros obſepſit, & portas firmavit, quidvis potiùs tamen quàm obſidionem meditans ferre, eludebat modò hoſtes. Dum enim aſſident ei, urbemque parvo negotio ſperant ſe capturos, cùm fugientium barbarorum ſecuti fuerunt, tum conſcribi permiſerunt Sertorio alias copias, quæ conficiebantur à legatis illius, quos per oppida miſerat, præceperatque, ubi jam magnum numerum contraxiſſent, ut ſe facerent certiorem. Quod poſtquam ei ſignificavere, ex facili per medios elapſus hoſtes, conjunxit ſe cum ſuis, rediitque in illos viribus auctus. *Plut. in Sertorio.*

Mor-

A Mortuo Nicolao, Martin. IV. Pontif. Michaelem Palæologum unionis pacta non ſervantem, inſtante Carolo Siciliæ rege, excommunicavit. Palæologus Caroli potentiam veritus, clam fœdera cum Petro Aragoniæ rege injit, qui regnum Siciliæ, ob Conſtantiam uxorem Manfredi filiam, & Corradini neptem, ſuo jure repetebat. Communi itaque impenſa magna claſſis ab utroque parabatur. Pontifex Legatum ad Petrum mittit ſciſcitatum, quid ſibi vellent tanti apparatus? Cui ille ita reſpondit: interiorem ſe tunicam laceraturum, ſi illam arbitraretur ſuarum cogitationum conſciam fieri poſſe. Abiit itaque re infecta legatus. Petrus comparata jam claſſe in Africam contendens, Hipponenſium litora populatus, in Sardiniam rediit, expectans, ut à Joan. Prochyta res novæ in Sicilia orirentur, quemadmodum inter eos convenerat. Cæſis igitur Siculorum opera hora veſpertina omnibus Gallis, Petrus à Siculis exceptus, Carolum cepit, & regnum occupavit. *Plat. in Martin. IV. & Cuſp. A. D.*

COMMUNICET SUA CONSILIA
Ratione Habita
B Perſonarum. Per Quos. Per
Homines.

Cyrus per intervalla locorum tabellarios ita diſpoſuit, ut fatigatis recentes, & nocturni diurnis ſuccederent: adeò ut volantes grues ſuperarent. Quod & Xerxes feciſſe dicitur, ut curſores invicem ſuccedentes haberet diſpoſitos, quos neque imber neque nox à curſu dimoveret. *Alex. lib. 1. cap. 27.*

Conon in urbe Mitylenenſium concluſus, & obſeſſus à Lacedæmoniis, cùm Athenienſibus oppugnationem indicare ſummè cuperet, neque poſſet clàm mittere, qui appellerent: contractis duabus celocibus, præſtantiſſimos ex ſupplementis remiges impoſuit, omnibus rebus neceſſariis comparatis, eoſque juſſit in navigiis otium agere. Procedente veſpera, conſpicatus per terram diſperſos cuſtodes cùm alii corpora curarent, alii ignem incenderent, alii pyram extruerent: tum verò dimiſit navigia, mandans curſum ſibi mutuò contrarium tenerent, ut etiamſi alterum caperetur, alterum ſaltem evadere poſſet: utrumque verò ſervatur, hoſtibus per otium & ignaviam perſequi cunctanti-C bus. *Polyæn. lib. 1.*

Romani obſeſſi in Capitolio, ad Camillum ab exilio revocandum miſerunt Pontium Cominum, qui ut ſtationes Gallorum falleret, per ſaxa Tarpeja demiſſus, tranſmiſſo Tyberi, Vejos pervenit, & perpetrata legatione ſimiliter ad ſuos rediit. *Font. lib. 3. cap. 13.*

Romani, quò celeriùs ac ſub manum adnunciari cognoſcique poſſet, quid in provincia quaque gereretur, juvenes primò modicis intervallis per vias militares, dehinc vehicula diſpoſuerunt. Commodius id viſum eſt, quòd idem, qui in loco proferebat literas, quid res exigat, interrogari poterat. *Aventin. lib. 2. Annalium Bojorum A. D.*

L. Lucullus Cyzicenos obſeſſos à Mithridate, ut certiores adventus ſui faceret, cùm præſidiis hoſtium teneretur introitus urbis, qui unus & anguſtus ponte modico inſulam continenti jungit: militem è ſuis, peritum nandi & nauticæ artis, juſſit inſidentem duobus inflatis utribus, literas inſutas habentibus, quos ab inferiore parte duabus regulis inter ſe diſtantibus commiſerat, ire ſeptem millium paſſuum trajectum. Quod ita peritè gregalis fecit, ut cruribus velut D gubernaculis dimiſſis, curſum dirigeret, & procul viſentes, qui in ſtatione erant, marinæ ſpecie belluæ deciperet. *Front. lib. 3. cap. 13.*

Joſephus Galilææ præfectus, in urbe Jotapata à Veſpaſiano obſidebatur. Noctu per vallem quandam deviam nuncios mittebat, terga velleribus tectos humique quadrupedes canum inſtar incedentes, ut excubias fallerent. *Joſeph. lib. 3. cap. 8. belli Iudaici.*

Bruta.

Marthes Ægypti rex proditur cornicem habuiſſe, cui curſoris vice literas perferendas dabat. *Alex. lib. 1. cap. 27.*

Cæcinna Volaterranus equeſtris ordinis quadrigarum dominus, hirundines comprehenſas in urbem ſecum auferens, victoriæ nuncias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes, illito victoriæ colore. *Plin. lib. 10. c. 24.*

Cùm obſideretur præſidium Romanum à Liguſtinis, hirundinem à puellis ad ſe allatam ſcribit Fabius Pictor in ſuis annalibus, ut lino ad pedem ejus alligato nodis ſignificaret, quoto die adveniente auxilio eruptio fieri deberet. *Idem.*

Uno eodemque die victoria Tauroſthenis ex Olympia E Æginam nunciata eſt ipſius parenti, ut alii affirmant, per ſpectrum: alii verò dicunt, Tauroſthenem columbam à ſuis pullis madidis adhuc & involucribus abſtractam ſecum deportaſſe: cumque viciſſet, purpura amictam eam remiſiſſe: eamque ſumma cum feſtinatione ad pullos properantem, eodem die ex Piſa in Æginam advolaſſe. *Ælian. lib. 9. de Var. Hiſt.*

Hircius columbis (quas incluſas antè tenebris & fame affecerat) epiſtolas ſeta ad collum religabat, eaſque à propinquo in quantum poterat mœnibus loco emittebat. Illæ lucis cibique avidæ, altiſſima ædificiorum petentes excipiebantur Mutinæ D. Bruto, obſeſſo à M. Antonio, qui eo modo de omnibus rebus certior fiebat: utique poſtquam diſpoſito quibuſdam locis cibo columbas illuc devolare inſtituerat. *Front. lib. 3. c. 13.*

Circumſedebant Galli Venetique Ptolemaidem in ora Syriæ, & jam non procul aberant, quin urbe potirentur, cùm tabellariam ſunt columbam adepti, militari clamore ad terram cum literis depreſſam. Significabant literæ, quas volucris habuit, fore, ut intra triduum Sultanus cum validiſſi- F mo exercitu adeſſet, ſuis diuturna obſidione feſſis auxilio. Hìc Chriſtiani duces adulterinas pro interceptis alias affingunt literas, per quas regis nomine monebantur cives, ut ſuis rebus conſulerent, quando majoribus curis impeditus eò accurrere non poſſet. Pertulit columba fictitiam ad ſuos epiſtolam, eſtque confeſtim urbs dedita. Obſervavit diem Barbarus rex, ſed cognita urbis alienatione, re infecta retrò abjit. *Sab. lib. 6. c. 6. & Egnatius lib. 7. c. 4.*

Obſidentibus Latinis Hieroſolymam, quam & virtute Godofredi Bolionii ceperunt: caſus tulit, ut columba ſupra caſtra Latinorum volitans, accipitre opprimente ſe demittens à Chriſtianis exciperetur. Sub alis inventa eſt epiſtola Arabicis & verbis & literis exarata. Ea per interpretem recitata, ſignificabat, parati auxilia, quæ obſeſſis mitterentur. Idcircò magis impigrè noſtri antevertendum cenſuerunt. *Æmil. lib. 4.*

Chriſtiani Latini Antiochiam Syriæ metropolim ceperant. Haſarchi oppidi præfectus ab Halapiano tyranno defecerat: uterque Turca erat. Non erat dubium, quin Halapianus Haſarchum copias admoturus eſſet, ad contuma- G ciam vindicandam. Præfectus Edeſſam ad Balduinum de amicitia ſocietateque miſerat: filioque obſide dato, cùm jam obſideretur, pervicerat, ut Latini auxilio ſibi accurrerent, periculoque eximerent. Ac ne animo interea deficeret, quia itineribus intercluſis alii nuncii mitti non poſſent: ejus Oratores epiſtolam caudæ columbæ, quam, cum in legationem proficiſcerentur, domo ſecum attulerant, alligaverunt, illamque ex compoſito remiſere. Ita præfectus certior factus, egregiè ſe tutatus eſt, quoad noſtri appropinquare dicerentur. *Æmil. lib. 4.*

Feſſenſis rex Tingitanam urbem ex improviſo adoriri ſtatuerat, cui Roderic. Caſtrenſis præerat. Joan. Meneſius Arzilæ præfectus in Mauritania, ut id Caſtrenſi ſignificaret, hanc rationem iniit. Civis quidam Tingitanus proximis illis dieb. Arzilam venerat, & catellam ibi per oblivionem reliquerat. Meneſius catellam ligari, literaſque cera circumlitas, quibus ea, quæ acceperat de Regis adventu, nunciabat, collo illius appendi jubet, eamque ſub noctem acerrimè verberatam in littore conſtitui. Ac catella dolore verberum graviter affecta, tanta celeritate domum properavit, ut ante lu- H cem ad Tingi portas aſſiſteret. Ibi lectis literis, Caſtrenſis, ut omnes in armis parati eſſent, imperavit. Vix hæc facta fuerant, cùm rex civitati appropinquavit. *Oſor. lib. 2. rerum Emm.*

Rerum, ſive Inſtrumentorum, per Quæ,
Judicare
Igni, Fumo.

Φρυκτοὶ, faces quædam è lignis confectæ, quas geſtantes in mœnibus ſigna dabant finitimis, aut ſociis, cùm aliquos hoſtes adventare videbant, quòd cavendum eſſet. Neque verò in hoſtium adventu hoc ſolùm faciebant, ſed etiam in amicorum, cum auxilia venire videbant, facibus id ſignificabant, ne terrerentur. Et cum amicos indicabant, faces quietas geſtabant: cùm hoſtes, agitabant. *Svidas.*

Ex Æſchyli Agamemn. conſtat, Speculatorem, qui poſitus erat, ut obſervaret ignem editum (id enim ſignum convenerat inter Agamemnonem & Clytæmneſtram Ilii capti) eo ſublato, longèque à ſe viſo, cognoviſſe expugnatam eſſe Trojam.

Impera-

A Imperatores Græci, Saracenorum in Romanas ditiones volentes nequaquam ignorari incurſiones, ne ex improviſo irruentes ii regiones devaſtarent, caſtellum quoddam Tarſo viciniſſimum, excelſiſſimo & natura munitiſſimo in colle ædificaverant, Lulum nomine: in quo collocati cuſtodes, ubi Saracenos incurſionem moliri ſentiebant, igne ſuccenſo ſignum dabant; quo igne conſpecto, ii qui in Argeo colle excubabant, idem faciebant. Eos excipiebant, qui in Iſamo colle: poſt hos, qui ad Ægialum, & ſecundum hos, qui apud Mamentem; inde qui in Circo, atque ab his, qui ad Mocillum; denique poſt hos, qui in D. Auxentii colle ſtationem habebant, igne edito excubitoribus magni palatii, incurſionem hoſtium ſignificabant. Hoc ignium ordine ſeſe inſequentium indicio & Imp. momento temporis de hoſtium conatu certior reddebatur, & ruſtici nuncio percepto, muris ſe claudebant, & impetum hoſtium evitabant. Hac obtinente conſuetudine, accidit aliquando, ut dum Michaelus Imp. equis ad fanum Mamantis agendis ſeſe parat, ignis à Pharao ederetur. Quem ut vidit Imp. timens ne aurigatio ſua non ſpectaretur diligenter, animis ſpecta-B torum perculſis, in tantum venit metum, quantus in periculo de vita conſtitutos invadere poſſet; tantum abfuit, ut eum in theatro ſeſe oſtentandi puderet. Atque adeò, ne quo adverſarum rerum indicio animi hominum ad ſpectandum fierent languidiores, ignem ex ſpeculis urbi vicinis in poſterum edi vetuit. *Cedrenus.*

Arabes, cùm eſſet conſuetudo eorum, ut adventum hoſtium interdiu fumo, noctu igne ſignificarent, ut ſine intermiſſione ea fierent, præceperunt: adventantibus autem adverſariis, intermitterent. Sic hoſtes, cùm ceſſantibus luminibus exiſtimarent ignorari adventum ſuum, avidiùs ingreſſi oppreſſique ſunt. *Front. lib. 2. cap. 5.*

Belli tempore, Angli, qui Oceanum accolunt, in vicinis tumulis lucernas pilis affixas locant, ac ubi ex hoſtium adventu major illuſtriorque res accidit, ſubitò lucernas accendunt, clamoreque per agros & regiones ſignificant: hinc alii deinceps excipiunt, proximiſque eodem modo ſignum edunt: atque ſic celeriter ad omnes vicos & urbes fama perfertur, & agreſtes civeſque ſeſe adverſus hoſtes armant. *Polyd. lib. 25.*

C Carthaginenſes Siciliam vaſtantes, ut celeriter à Lybia ſibi commeatus reſque neceſſariæ afferrentur, duas clepſydras æquales magnitudine fecerunt, & in utraque circulos æquales deſcripſerunt, eandem habentes inſcriptionem. Inſcriptum autem erat, non opus eſſe navibus, neque turbinatis navigiis, ſed alibi auro, alibi machinis, & rurſus frumento: iterumque beſtiis, & iterum armis ac pedeſtribus equeſtribuſque copiis. Ad eum modum omnibus circulis conſcriptis, alteram clepſydram in Sicilia retinentes, alteram Carthaginem miſerunt, mandantes, ut cum ignem apud ipſos ſublatum vidiſſent, animadverterent, quando ſecundus ignis oſtenderetur, quo in circulo hoc contingeret: ejuſque inſcriptionem legentes, ſtatim id, quod literis eſſet ſignificatum, mitterent. Hac ratione Carthaginenſes celerrimam devectionem habuerunt rerum ad bellum neceſſariarum. *Polyæn. lib. 6.*

Geſtu, Actione.

☞ *Modum hìc perpendimus ingenioſum, etſi in cauſa parum honeſta, cujus reſpectu ad Aſtum potius referri deberet.*

Thraſybulus Mileſiorum tyrannus occultè Periandrum D certiorem fecit, quid ei faciendum eſſet. Poſteaquam enim nuncium ſibi miſſum à Periandro in meſſem maturam dixiſſet, ſummas ariſtas baculo decuſſit, & tacens nuncium dimiſit, ut Periandro viſa referret. *Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 32.*

Tarquinius Superbus, Rom. rex, cùm Gabios longo tempore oppugnatos capere non poſſet, minimum natu filium Sextum plagis affectum transfugæ ſpecie miſit. Qui corpus acerbis verberibus caſtigatum videntes, eum receperunt. Ille contra patrem multa magnaque pollicitus, cùm pleraque factis exequeretur, fidelis habebatur. Prædas ex Romanorum agris agebat, in fugã eos convertebat, multas pugnas vincebat. Quam ob cauſam Gabii admirati virtutẽ, eum Imperatorem ac ſummum belli ducem creaverunt. Ille autem clam nuncio ad patrem miſſo, eum interrogavit, Quid fieri vellet? Tarquinius (nam in horto colloquebantur) ſumma papaverum capita percutiens, inquit ad nũcium: Refer filio, me hoc facere quod vides. Sextus Gabiorum potentiſſimos de medio ſuſtulit: atq; ita ad ſolitudinem & imbecillitatem Gabios redigens, civitatẽ eorum prodidit. *Polyæn. l. 8. Plin. l. 19. c. 8. & Plin. Junior de Viris illuſtrib. Val. Maxim. & Front. lib. 1. c. 1.*

Sono, Strepitu. E

Joan. Meneſius ab Emmanuele rege Luſitaniæ Argivis in Mauritania præfectus, cùm intelligeret, regem Feſſenſem Tingitanam urbem ex improviſo adoriturum, cui Rodericus Caſtrenſis præerat, cùm non poſſet nuncium ad Caſtrenſem, antequam ille accederet, pervenire, maximè verò cum nulla eſſet via, ubi hoſtes eo tempore non inſiderent: ignem tormentis æneis applicare juſſit, ut globorum ſtrepitu poſſet Caſtrenſi ſignificare, quo in periculo verſaretur. *Oroſ. lib. 2. Rerum Eman.*

Baculo.

Quoties hoſtes in litore maris, ſeu limitibus regnorum Septentrionalium apparent, tunc illicò juſſu præfectorum provincialium, baculus tripalmaris in ſummitate aduſtus, alligato funiculo inſignis, præconi ad hunc vel illum pagum deferendus committitur, ut certo die ſinguli cum armis & commeatu decem vel viginti dierum ſub pœna combuſtionis domorum (quæ uſto baculo) vel ſuſpendii (quod fune alligato ſignatur) in certo loco compareant, cauſam vocationis audituri. Itaque nuncius ille quovis veredario celerior, peracta commiſſione lentè revertitur, ſignum affe- F rens, omnia ſe rectè feciſſe, continuòque vicatim unus & alius curſor, qualiter agendum ſit, demonſtrat. *Olaus lib. 7. cap. 4.*

Sagitta.

Apud Danos olim ſolebat ſagitta lignea, ferreæ ſpeciem habens, nuncii loco viritim per omnes regiones mitti, quoties repentina belli neceſſitas incidiſſet. *Saxo lib. 5.*

Clamore.

Peuceſtes Perſiæ ſatrapa in ſubſidium Eumenis Cardiani contra Antigonum convocavit decem millia militum. At nonnulli Perſarum, diſtantes iter triginta dierum, audierunt eo ipſo die quod denunciatum fuerat, propter artificioſam ſolertiam in cuſtodiis. Nam cùm Perſia ſit interrupta vallibus, & ſcopulis altis atque crebris plena, in his ſtabant indigenarum vocaliſſimi quique. Diviſis ergo ad vocis auditum locis, qui mandatum accipiebant, ſimiliter aliis tradebant; deinde illi rurſus aliis, donec uſque ad finem ſatrapiæ perferretur. *Diod. lib. 19.*

Ænigmate.

Hippodamas ab Arcadibus Praſiis oppugnabatur. Cùm G fame premeretur, Spartanæ præconem miſerunt, qui in urbem introiret, Arcadibus non permittentibus. Hippodamas à mœnibus præconi reſpondit: Ephoris nuncia, fœminam prohibere, in æde Chalciœci ligatam. Arcades non intellexerunt. At Lacones animadverterunt, quòd famem prohibere diceret. Erat enim in æde Chalciœci ſuſpenſa Famis imago, fœmina picta ac pallens, tenuibus manibus in tergum revinctis. Itaque hoſtibus obſcurum, civibus verò manifeſtum fuit Hippodamantis dictum. *Polyæn. lib. 2. Verum Athen. lib. 10. cap. 16.* Hippodamum Chromni propè Megalopolim obſeſſum, præconi mandaſſe ſcribit, diceret matri, Mulierculam in Apollinis templo ligatam eſſe ſolvendam intra decem dierum ſpatium. Eam autem Famem eſſe, juxta Apollinis ſedem pictam.

Cæſo Childer. II. Francorum rege, & Theod. ei ſuccedente; Ebronius magiſter equitum à Childerico monaſterio incluſus, illud egreditur, contraque Theodericum caſtrametatur, convenientibus ad eum iis, quorum ex ſententia res non erant. Cùm verò per literas clam veteres amicos conſuleret, quidnam conſilii capiendum videretur? Illi perplexè, ac his tantùm duobus verbis reſponderant: Memi- H neris Fredegundis. Intellexit vir militaris, veteranuſque dux ex brevitate dicti, ſe hoſti contemptui eſſe: audendum, ac in celeritate poſitam victoriam. Cum delectiſſimis igitur equitum & velociſſimis peditum ſub noctem iter ingreſſus, Iſaram fl. cæſis cuſtodibus vado tranſmiſit, hoſteſque inopinantes oppreſſit. *Æmil. lib. 1.*

Literis mandandis prudenter.

Poſt pugnam ad Salaminem, relicto in Græcia Mardonio à Xerxe, Artabaxus Pharnacis filius Perſa, ſexaginta millibus præfectus, expugnata Olynto, Potideæ obſidendæ impenſiùs incumbens, cum Timoxeno Scioneorum magiſtratu de facienda proditione tranſegit. Quoties autem ſecretò libellum mittere volebat, eum ſagittæ involvebat, & adaptatis deſuper pennis, ad locum certum ſagittam emittebat. Accidit autem, ut Artabazus ad conventum locum ſagittam dirigens, fruſtrante jactu humerum cujuſdam Potideatæ percuteret. Ad

quem

A quem ſaucium turba (ut aſſolet in bello fieri) cum cucurriſſet evulſa ſagitta, libellum detulit ad magiſtratus. Cognito proditionis auctore, non tamen cenſuerunt, Timoxenum eſſe plectendum, Scioneæ civitatis gratia, ne in poſterum ſemper Scionei pro proditoribus haberentur. *Herod. lib.*8.

C. Jul. Cæſar audiens Ciceronem à Gallis obſeſſum oppugnationem ferre non poſſe, miſit militem cum præcepto, ut nocte epiſtolam jaculo alligatam ſupra murum emitteret. Quam cum conjeciſſet, mœniorum cuſtodes repertam ad Ciceronem attulerunt, in hæc verba: Cæſar Ciceroni fiduciam optat. Expecta auxilium. Paulò poſt fumus ac pulvis cernebatur, Cæſare terram vaſtante. Itaque repentè interciſa oppugnatione, non ſolùm Ciceronem liberavit, ſed etiam oppugnantes repulit. *Polyæn. lib.*8.

Hircus Conſul ad Decium Brutum, qui Mutinæ ab Antonio obſidebatur, literas ſubindè miſit plumbo ſcriptas, quibus ad brachium religatis, milites Scultellam amnem tranſnabant. *Front. lib.*3. *cap.*13.

Joannes Novius, auſpiciis Emmanuelis, Luſitaniæ regis, in Indiam miſſus, poſtquam regionem Æquinoctiali circulo B ſubjectam tranſmiſit, in inſulam incognitam delatus eſt, cui Conceptionis nomen indidit. Inde Mozambiquem petiit. Sed antequam eò perveniret, naves ad terram aquandi gratia convertit, ad eum locum, quem S. Blaſii aquationem nominant. Ibi calceum vetuſtum è frondibus cujuſdam arboris alligatum cernit. Non temerè viſum eſt. Itaque calceum ſolvi, & ad ſe deferri jubet. Erant in illo literæ, Petri Ataidæ præfecti navis ex ea claſſe, cui Vincent. Soderius præerat, manu ſcriptæ, quibus admonebat omnes duces Luſitanos, qui eò deflecterent, ut Calecutii portum vitarent, Regem eſſe ſceleratum & immanem, & in Luſitanos peſtem primò inſidiis, deindè ſummis viribus fuiſſe machinatum. *Oſor. lib.*2. *Rer. Emm.*

Literis occultandis prudenter.

Mileſii cum Naxiis bellum gerebant. Erythræi Mileſiis auxilium ferebant. Diognetus Erythræorum dux magnam prædam Naxiorum ceperat, mulieres etiam & virgines plurimas, in quibus erat Polycrete. Eam cùm vehementer amaret, non ut cùm captiva, ſed velut cum uxore conſuetudinem habebat. Agebatur in caſtris Mileſiorum patrium & ſolemne feſtum: omneſque vino & lætitia poſtrati jacebant. C Polycrete rogabat Diognetum, ut ſibi liceret bellariorum aliquot portiones ad fratres tranſmittere. Quo permittente, plumbeum libellum in placentam conjecit: mandans ei, qui ferebat, diceret fratribus, ut ipſi ſoli comederent ex ore ſororis profectas. Illi repertum plumbum aperientes legunt, ut per noctem adoriantur hoſtes, ob feſtum inebriatos, ac ſine cura dormientes. Quo cognito, duces noctu eruptionem in caſtra fecerunt, hoſteſque ſuperarunt. Diognetum autem Polycrete à civibus impetravit. *Polyæn. lib.* 8.

Harpagus, cui Aſtyages Medorum rex filium epulandum appoſuit, occultè Cyrum per literas moniturus, ut Medos bello invaderet, literas, quibus juvenem accerſebat, lepori exenterato inſeruit, quem nuncius ad Cyrum detulit. Sic literæ tutò in Perſidem perlatæ ſunt, & Cyrus bello illato, Medorum imperio potitus eſt. *Sab. lib.*10. *cap.*6. *Polyæn. lib.*7. *Juſt. & Herod. lib.*1.

Hiſtiæus Mileſius, in Perſia agens apud Darium regem, Joniam ad defectionem ſolicitare volens, neque audens literas mittere propter cuſtodes viarum, ſervo fideli, capillis abraſis, ſtigmata capiti inſcripſit: Hiſtiæus Ariſtagoræ, D Joniam ad deficiendum ſolicita. Atque ſupra ſtigmata crines nutrivit. Hoc modo fallens cuſtodes ſtigmatophorus, deſcendit ad mare, & abraſis capillis, Ariſtagoræ Joniæ tyranno ſtigmata monſtravit; qui cùm legiſſet, effecit, ut Jonia deſciſceret. *Polyæn. lib.*1. *Sabell. lib.*10. *cap.* 6. *Herod. lib.*5.

Lacedæmonii veteres, cùm diſſimulare & occultare literas publicè ad Imperatores ſuos miſſas vellent, ne ſi ab hoſtibus exceptæ forent, conſilia ſua noſcerentur, epiſtolas id genus factas mittebant. Surculi duo erant teretes, Scytalas vocant, oblonguli pari craſſamento, ejuſdemque longitudinis, deraſi atque ornati conſimiliter. Unus Imperatori in bellum proficiſcenti dabatur, alterum domi magiſtratus cum jure atque cum ſigno habebant. Quando uſus venerat litterarum ſecretiorum, circum eum ſurculum lorum modicæ tenuitatis, longum autem quantum rei ſatis erat, complicabant, volumine rotundo & ſimplici: ita ut oræ adjunctæ undique, & cohærentes lori, quod plicabatur, coirent. Literas deindè in eo loco per tranſverſas juncturarum oras, verſibus à ſummo ad imum proficiſcentibus, in- E ſcribebant. Id lorum literis perſcriptis revolutum ex ſurculo, Imperatori commenti illius conſcio mittebant. Reſolutio autem lori litteras truncas atq; mutilas reddebat, membraque earum & apices in partes diverſiſſimas ſpargebat: propterea ſi id lorum in manus hoſtium inciderat, nihil quicquam conjectari ex eo loro quibant. Sed ubi ille, ad quem erat miſſum, acceperat, ſurculo compari, quem habebat, capto, ad finem perindè, ut debere fieri ſciebat, circumplicabat: atque ita literæ per ambitum eundem ſurculi coaleſcentes rurſum coibant, integramque & incorruptam epiſtolam & facilem legi præſtabant. Hoc genus epiſtolæ Lacedæmonii σκυτάλην appellant. *Gell. l.*17. *c.*9. *ex Plut. in Lyſandro.* Textam Spartanam ſcriptam vocat Cymbrym Achæus, pro Spartana tabula. Quòd autem albo loro circumvolventes tabulam, ea quæ volebant, ſcribebant Lacedæmonii, apertè declaravit Apollonius Rhodius in libro de Archilocho. *Athen. lib.*10. *c.*17.

Demaratus exul literas mittens Spartiatis de exercitu Xerxis, in tabulam expertem ceræ ſcriptam epiſtolam cera obduxit, ut per cuſtodes, quaſi ſine literis ferretur. *Polyæn. l.*2. F

In hiſtoria rerum Punicarum traditur, virum quempiam illuſtrem (ſive ille Haſdrubal, ſive quis alius eſt, non retineo) epiſtolam ſcriptam ſuper rebus arcanis, hoc modo abſcondiſſe: Pugillaria nova, nondum etiam cera illita, accepiſſe, literas in lignum incidiſſe: poſtea tabulas (uti ſolitum eſt) cera colliniſſe, eaſque tabulas, tanquam non ſcriptas, cui futurum id prædixerat, miſiſſe. Eum deindè ceram deraſiſſe, literaſque incolumes ligno inciſas legiſſe. *Gel. lib.*17. *cap.*9.

Campani diligenter Romanis, à quibus obſeſſi erant, cuſtodias agentibus, quendam pro transfuga ſubornatum miſerunt, qui occultatam baltheo epiſtolam, inventa effugiendi occaſione, ad Pœnos pertulit. *Front. lib.*3. *c.*13.

Nonnulli interiora vaginarum inſcripſerunt. *Idem.*

C. Julii Cæſaris ad C. Oppium & Balbum Cornelium, qui res ejus abſentis curabant, epiſtolæ extant, in quibus literæ quædam ſine coagmentis ſyllabarum inſunt, commento inter eos clandeſtino de commutando literarum ſitu. *Gell. lib.*17. *cap.*9. Sic ſtructus erat literarum ordo, ut nullum verbum effici poſſet. At ſi quis inveſtigare & perſequi G vellet, quartam elementorum literam, id eſt, d pro a, & perindè reliquas commutabat. *Svet.*

Quidam tithymalli lacte inſcribunt corpus: cumque inaruerit, cinerem inſpergunt, ut literæ appareant. Atque ita quoſdam adulteras alloqui maluiſſe, quàm codicillis, refert *Plin. lib.*26. *cap.*8.

Andronicus Senior Imp. literas ad Cralem Serviæ & alios præfectos miſit, quæ ut præferrentur tutò, tenui linteo & albo inſcriptæ, tabellariorum veſtibus ſolerter inſutæ fuerant. *Gregoras lib.*9.

Siculi in Tranſſylvania ad explicandam animi ſui ſententiam ac voluntatem quotidianam, præter uſum papyri & atramenti, aut characteris aliarum linguarum, notas quaſdam bacillis ligneis incidunt, aliquid inter ſe ſignificantes: quibus ita inciſis, apud amicos ac vicinos vice nuncii epiſtolæve utuntur. *Nicolaus Olaus in Atila, cap.*18.

Uladislaus Jagello Polonorum Rex, Svitrigelloni fratri ſuo, homini ignavo, Podolia ceſſurus erat. Ægerrimè id ferentes duo nobiles juvenes, Andreas Tencinius, & Nicol. Drevicius, ducti amore patriæ, ſcripſere Michaeli Bucia- H cio, qui Cameneciam obtinebat, Regem extrema neceſſitate adactum Podolia Svitrigelloni cedere; ſed ſi ipſe communi patriæ ſimul & honori ſuo conſultum vellet, non modò non pareret mandatis regiis, verùm Zalicam pariter & Babam legatos comprehenderet. Eas literas, quoniam palam ferri nequibant, Svitrigellone omnes excutiente, convolutas, ceraque contectas, ut ſpeciem cerei præ ſe ferrent, Zaclicæ puero omnium inſcio, paucula pecunia præ manu ei data, dedere: ut is cum primùm Cameneciam veniſſet, cereum illum Buciatio præfecto redderet, atque hæc verba adderet: Ut ſi errare ille nollet, ex eo cereo unà cum magiſtratu urbano lumen quæreret. Cùm autem puer bona fide omnia feciſſet, miratus Buciacius, quid ſibi cereus ille & ambigua mandata vellent, non de nihilo tamen omnia illa eſſe ſuſpicatus, refracta cera, literas invenit, Zaclicam & Babam in cuſtodia habuit. *Cromerus lib.*20.

Julio Medici, mortuo patruele Leone X. Romę Pontificatum ambienti, conſilia hoſtium, qui mortuo Pontifice oppida ſua, quibus erant dejecti à Mediceis, recuperare nitebantur:

A per notas arbitrarias anguſtiſſimè conſcriptas, ſyngraphis inter fercula ſedulò occultatis, intra comitia & conclave quotidiè nunciata ſunt. *Jovius in Adriano IV.*

Alfonſus à patre Ferdinando Neapolitanorum rege contra Innocent. VIII. Pontificem miſſus, à Roberto Sanſeverinate prælio victus, vix effugit. Ferdinandus filii ſalutẽ, omnibus inſeſſis ab hoſte itineribus, deſperabat. Laurent. Medices Florentinæ Reipublicæ princeps, ut miſerum ſenem de filii incolumitate certiorem redderet, parva lamina è ſtanno codicillos involutos nondum cocto pani includit, atque uni ex neceſſariis, cùm tectos eo involucro aſſandos curaſſet, Neapolim ad regem tradit perferendos. Is literis acceptis, cùm ad confirmandum errorem ſe mendicum atque egentem effingeret, pannoſus ac ſitu, & ſqualore obſitus, cùm ſæpè iter faciens in militum cuſtodias incidiſſet, diligenter excuſſus ac ſtipe donatus, præter ſe obſervantium oculos incolumis Neapolim evaſit, ac mœſto Regi, & filii caſum lugenti, literas reddidit. *Brut. lib.*6. *Hiſt. Florent.*

Apud Calecutios nunciorum in bello hæc eſt ratio. Rem eſſe in magno diſcrimine, ſublato clamore ſignificant. Qui B clamorem excipiunt, rurſus, ut alios ad auxilium excitent, eadem ſignificatione clamoris utuntur: & ſic fit, ut partim nunciis ad eam rem miſſis, partim clamoris ſucceſſione continuata, intra breve tempus magnæ militum copiæ congregari ſoleant. *Oſorius lib.*3. *Rerum Emmanuelis.*

FORTIS, SIC IMPERATOR.

TOLERET ADVERSA.

☞ *Vide Tit. Animare milites cùm aliàs, tum præſertim diſſimulando res adverſas. Item, Metum militibus eximere. Ipſa quidem fortitudo, & animi conſtantia ad locum Fortitudinis pertinet: at quatenus hac ipſa militum quoque animos confirmat, Prudentia inſervire videtur.*

SECUNDIS NON EFFERATUR.

☞ *Ex Tit. Securitatem militi eximere, huc quædam. Quatenus Imperator prius ſeipſum, rebus proſperè geſtis, deinde milites refrænat.*

DECLINET PERICULA.

Partim ut

Ne pugnæ ſe committat.

Si, ut diſtinxit Iphicrates, levis armatura manibus ſimilis C eſt, pedibus equitatus, pedites pectori & thoraci, capiti Imperator: non ſui curam periculo ſe exponens temerè, & ferociens abjicere dicendus eſt; ſed omnium quorum ex ipſo dependet ſalus, & contra. *Plut. in Pelopida.*

David Judæorum rex, in perſequendis Philiſtæis maximum diſcrimen vitæ adiit. Iſraelitæ Davidis periculo commoti, decretum tulerunt, ne, qui rex eſſet, ad bellum exiret amplius. *Sab. lib.*9. *Ennead.*1.

Xerxes cum Græcis ad Salamina prælio navali certaturus, ubi illuxit, in edito conſedit, claſſem & aciem ſpeculans, ut Phanodemus ait, ſupra fanum Herculis, qua Auguſta ferro dirimitur ab Attica inſula: ut Aceſtodorus teſtatur, in Megaridis confinio ſuper colles, quos Cerata appellant. Aureo ſedit ſolio, multis adhibitis ſcribis, quorum erat munus, ut quæque res in prælio gereretur, exciperet. *Plut. in Xerxe.*

Clearchus Cyro dedit conſilium, ne ipſe ſe in periculum offerret, ſed inſpectorem ſe pugnæ gereret: Pugnantem enim manibus nihil magnum effecturum. Si verò quid damni acciperet, omnia relicturum iis, quos ſecum haberet. *Polian. lib.*2.

D Pyrrhus Epirotarum rex, Argos movens, cùm Antigonum jam conſediſſe accepiſſet in locis editis campo imminentibus, miſſo ad Antigonum caduceatore, conſceleratum eum appellavit, provocavitque, ut in planiciem deſcenderet, atque de regno ſecum decerneret. Ille verò, ductum ſuum reſpondit non armorum magis, quàm temporum eſſe. Pyrrho, ſi vitæ pœniteret, multas patere ad interitum vias. *Plut. in Pyrrho.*

Admiratione dignum eſt, in tot conflictibus, quot deficiat dies recenſentem, ne vulnus quidem accepiſſe Annibalem. Nempè quam in aliis circumveniendis catus, tam in ſua ſalute cuſtodienda cautus. *Plut. in Marcelli, & Pelop. comparat.*

Pub. Scipio Africanus fertur dixiſſe, cùm eum parum quidem pugnacem dicerent: Imperatorem me mater, non bellatorem peperit. *Front. lib.*4. *cap.*7.

C. Marius Teutoni, provocanti eum, & poſtulanti, ut prodiret, reſpondit: Si cupidus mortis eſſet, laqueo eum vitam poſſe finire: cumque demonſtraret ei gladiatorem contemptæ ſtaturæ, & propè exactæ ætatis, objecit ei, dixitque: Si eum ſuperaſſet, tunc ſe cum victore congreſſurum. *Ibid.*

Byorix, Cymbrorum rex, citato agmine ad Romana ca- E ſtra contendens, C. Marium Coſ. omnia ad uſum belli circumſpectantem, ad pugnam provocavit. Cui Marius: Romanorum (inquit) mos eſt, ſuo, non hoſtium arbitrio dimicare. *Sab. lib.*2. *Ennead.*6.

Bello Sociali, cùm Silo Popedius, cujus apud hoſtes maxima erat auctoritas & potentia, increparet C. Marium, dicens: Si magnus dux es, Mari, deſcende ad certamen; ille reſpondit: Imò tu, ſi magnus es dux, coge me dimicare invitum. *Plut. in Mario, & in Apoph.*

M. Anton. ad Actium Cæſarem Octavium, quamvis ætate longè major, ad ſingulare certamen provocavit. Verùm Cæſar parere noluit. Victus Antonius, cùm Peluſii obſideretur, provocavit denuò per nuncios Cæſarem, ut ſolus ſecum certaret: qui reſpondit, Vias Antonio multas patere ad interitum. *Plut. in Antonio, & Sab. lib.*9. *Enn.*6.

Fervente inter Magnentium tyrannum, & Conſtantium Imperatorem ad Murſam Pannoniæ pugna, Conſtantius tanto ſe committere diſcrimini veritus, in baſilica martyrum, extra oppidum ſita, Valente Murſæ Epiſcop. Ariano F in ſocietatem aſſumpto, verſatus eſt. Valens autem callidè per ſuos diſpoſuerat, ut quis prælii fuiſſet eventus, primus edoceretur: vel ut è rege gratiam iniret, ſi prior bonum nuncium detuliſſet, vel ut vitæ ſuæ conſuleret, ſi quid ſecus accidiſſet. Ita paucis, qui circa Imperatorem erant, metu exterritis, ipſoque Imp. anxio, primus hoſtes fugere nunciavit. Cùm Conſtantius indicem intromitti juberet, Valens, ut reverentiam ſibi aſciſceret, Angelum ſibi nunciaſſe reſpondit. Facilis ad credendum Conſtantius, palam poſteà dicere eſt ſolitus: Se Valentis meritis, non virtute exercitus, victoriam retuliſſe. *Hæc Zoſimus, & Severus Sigon. lib.*5. *Imp. occid.*

Joan. Zimiſca Conſtantinopolitan. Imp. cum Roſſis bellum gerens, tempus teri ægrè ferens, ſuorumque ærumnas ejus belli miſerans, ſingulari pugna decernendum cenſet. Itaque Spendoſthlabum Roſſorum Principes per legatos provocat, & oſtendit, præſtare unius hominis interitu rem decidi, quàm paulatim totas gentes perimi. Conditionem hanc repudians Barbarus, reſpondit, Meliùs ſe, quid ex re ſit, quàm hoſtem, intelligere: ſi Roman. Imper. vivere non G placeat, infinitas eſſe mortis vias. *Cedrenus.*

Chaganus, Perſarum rex, à Tiberio Imp. victus, dedecoris impatiens, legem tulit, Ne rex Perſarum ullus poſthac in bellum proficiſcatur. *Cedrenus.*

Luchinus Vicecomes, Actii patruelis in Imperio Mediolanenſi ſucceſſor, per legatos ferè ſemper bella geſſit, tametſi antea longè acerrimus bellator fuiſſet, utpotè qui in omnibus ferè juſtis præliis honeſta vulnera ſuſceperit. *Jov. in Actio.*

Joan. Galeacius infauſtis ſuſceptæ militiæ initiis, cùm ſatis ſuperque tum virtutis, tum fortunæ ſuæ periculum feciſſe videretur: mortuo patre Galeacio II. per legatos bella gerere conſtituit, quòd unicus patris hæres extra infeſti Martis diſcrimina ſibi omninò parcendum, alienaque virtute, quæ pecuniæ mercede pararetur, ſubeundam præliorum aleam exiſtimabat: credebaturque, uti natura cautus exactèque prudens, &, uti mox apparuit, conſilio quàm manu validior, ſe domi quàm foris feliciorem evaſurum, pollicentibus præſertim ex genitura Mathematicis maximas opes, adauctum imperium, hoſtium calamitates, ſummamque H gloriam, ſi armorum pericula devitaret. *Jovius in Joan. Galeacio.*

Helvetii ad Novariã cum Gallis dimicaturi, Maximilianũ Sfortiam, qui inſultantibus Epirotis magno in diſcrimine verſabatur, pugna excedere, & continuò in urbem reverti juſſere, ut belli caput acerbitati fortunæ expoſitum ſperatæ victoriæ conſervarent. Eum verò generosè renitentem, & ut ſe communis ſortis caſum ſubire paterentur, conſtãti animo deprecantem: duo centuriones cum totidem manipulis freno arreptum, & detractis caſſide criſtis, inditaque vili chlamyde, ut paludamentum tegeretur, ex acie ſubduxere, conglobatoque equitum agmine in urbem redire coegere, ut inde periculo vacuus, ipſorum virtutis ſpectator, maturæ victoriæ nuncium expectaret. *Sab. ſupplem. lib.*1. *ex Jovio.*

Cautè pugnæ interſit.

Conon navale prælium initurus, nunciante transfuga, triremes optimas hoſtiũ ad Cononis navem capiendam intendere, apparavit ſuæ ſimilem, & ducem ſuis ornamẽtis induit, atque ad dextrum cornu diſpoſuit: ab eaque univerſæ claſſi

ſignum dari juſſit. Hoſtes cùm id vidiſſent, qui optimas naves habebant, repentè ad imperatoriam contendunt. At Conon in reliquam claſſem invadens, alias ſubmerſit, alias in fugam convertit. *Polian. lib.* 1.

Cunipertus, Longobardorum rex, contra Alachin ducem Tridentinum, regni æmulum, ad Abduam, in Campo Coronatæ pugnaturus, eum miſſo nuncio ad rem ſingulari dirimendam certamine provocavit. Quod Alachis reſpuit, roboris Cuniperti atque audaciæ recordatus. Cùm verò jam propè eſſet, ut utrinque concurreretur: Zeno diaconus vicem regis ſolicitus ipſum convenit, atque ita dixit: Domine rex, omnis vita noſtra in ſalute tua conſiſtit, quia ſi tu in acie cecideris, omnes nos tyrannus Alachis per ſummos cruciatus necabit. Quin tu igitur mihi ornatum regium tradis, & ego manus cum illo conſeram? Nam, ſi ibi ego periero, tu facilè cauſam recuperabis tuam: ſi vicero, major ex victoria ſervi tui in te gloria redundabit. Cunipertus amicorum precibus, & lacrymis victus, vix demum conceſſit: ac loricam, galeam, ocreas, cæteraque ſua arma diacono tribuit, atque eum pro ſe in prælium miſit. Commiſſo inde prælio, Alachis opimum decus expetens, acriter in eam ſe partem præcipuè intulit, in qua ſtare regem exiſtimavit: ac diaconum unum, ſpecie armatum, deceptus telo appetens, interfecit, ac ſtatim jacenti caput præcidi, ac pilo ad terrorem hoſtibus incutiendum juſſit præfigi. Verùm ubi dempta caſſide clericum ſe pro rege vidit interemiſſe, ira furens: Malum clericis omnibus, inquit, ſi quando integram victoriam comparavero. Cunipertus nudato capite ſe oſtentans, ſuos à fuga retinuit, ac benè ſperare de tota victoria juſſit. Poſt paucos inde dies, Cunipertus rurſus Alachin, num viritim dimicare vellet, provocavit: verùm nihil obtinuit. Pugnatum eſt inde maximo armorum, & animorum ardore: Alachis interemptus, & exercitus ejus in fugam verſus: & qui à ferro integri remanſerunt, dum fugam capeſſerent, cœcis gurgitibus hauſti ſunt. *Sigon. lib.* 2. *Regni Italici.*

Grezomislaus, ſive Neclam, octavus dux Boemorum, ab Uratislao patruo bello preſſus, Selericum equitem forma ſibi ſimillimum ſuas partes in prælio obire juſſit. Is uti victoriam Grezomislao ignaviſſimo, ita ſibi mortem peperit, in acie cæſus, inſigni virtutis ſuæ gloria poſteris relicta. *Æneas Sylvius in Hiſt. Boemiæ.*

Carolus Andegavenſis, in prælio contra Conradinum Svevum, hoſtium inſidias, mutato habitu, detractis inſignibus regiis, calonis habitu ſumpto, evitavit. *Æmil. lib.* 7. *& Fulgoſus lib.* 7. *cap.* 4. *& Platina in Clemente IV.*

Ludovicus Borbonius, qui à Gallis defecerat, in pugna ad Papiam in Parco commiſſa, quum à Gallis vindictæ avidis, omnibus pugnæ locis requireretur: ad tutiorem promptitudinem Pomperano familiari traditis inſignibus, tunicati & privati equitis habitu depugnavit. *Iovius in Piſcario lib.* 5.

Mezethus Tranſſylvaniam provinciam ab Turcarum rege invadere juſſus, quum accepiſſet, Joannem Corvinum provinciæ præfectum cum exercitu occurrere, ſuis imperavit, ut initâ ſtatim pugna, quibuſcumque id negotii mandatum erat, Corvinum circumvenirent, ac trucidarent. Edoctus de conſilio hoſtis Vaivoda, ſaluti ſuæ animum intendit. Erat ſibi miles quidam a Kemenia nobilitate editus, cui Simon nomen erat, Corvino perſimilis. Cùm hoc equum armaque commutat. Nec Simon pro amico mori recuſat, ut fato ſuo liberatorem Reipublicæ conſervaret. Turcæ Simonem Corvina arma ferentem circumveniunt, & trucidant unà cum filio. Corvinus inſigni potitur victoria. *Bonfinius lib.* 5. *Dec.* 3.

Carolus V. Cæſar, anno 1555. Muleaſſem à Barbaruſſa ejectum in Tunetanum regnum reſtituturus, expugnata jam Guleta, juſto prælio cum Barbaris, Alfonſi Vaſtii, penes quem eo die imperium militare erat, monitu, decertare ſtatuit. Tū Vaſtius ad Cæſarē: Ergo æquum eſt, inquit, ut qui toti propè terrarum orbi imperas, ei parere condiſcas, quem gravi cum onere pudoreque hoc die tanti exercitus ducē, abdicato Imperatoris nomine, eſſe voluiſti. Itaque jure meo jam utor, jubeoq; ut hinc abſcedas ad mediā aciem, ubi ſunt vexilla, ne fortuito incidentis pilæ caſu, univerſa communis fortunæ ſalus, unius hominis periculo, inexpiabile ſubeat diſcrimen. Ad id ſubridens Cæſar, & ne id timeret, ſubdens, quando Auguſtorum Cæſarum nemo unquam tormenti violentia concidiſſet, confeſtim ad ſigna ſe contulit. *Iovius l.* 34. *Hiſt.*

PROPIUS ET SECURE.

Trajanus Romanor. Imp. licèt eſſet avidus belli, ita tamen ſibi in eo temperabat, ut hoſtes mora ſua frangeret, amicos augeret. Non enim ei unquam accidit, quod evenire in ejuſmodi rebus ſolet, ut milites feroces ſe, & inſolentes præbuerint, uſque adeò benè, & cum ratione imperabat. *Dion Nicæus atque Xiphilinus in ejus vita.*

Carolus VII. Gallorum rex, cùm aperto Marte Anglis omnia feliciter ſuccedere videret, cunctando & hoſtem obſervando potiùs, quàm pugnando, Gallorum animos, Angli pertæſos imperii, ad ſe pertraxit, & regnum patris ignavia, & Philippi Burgundionis perfidia amiſſum recuperavit. *Polyd. lib.* 23.

CLEMENS, SEVERUS, JUSTUS.

☞ *Exempla horum ſequentibus locis, reſpectu Militum & Hoſtium, ponentur.*

PRUDENTIA BELLICA QUO AD IMPERATORIS CORPUS. NEMPE QUO AD SALUTEM, VITAM.

☞ *Paulò ante Prudentiæ Imperatoris tribuimus: Non pugnare, ne caput ſuum periculis objiciat. Item ſub Tit. Exercitum per loca infeſta ducere, exempla quædam huic tit. convenire poſſunt, quatenus Dux, ut exercitus totius, ſic ſuam vitam quoque conſervat.*

Lachares, cùm Seſtum hoſtes cepiſſent, paucos dies in fovea delituit, victum exiguum, & tantùm habens, ut à morte ſe vindicare poſſet. Fortè autem fortuna muliere ſuum mortuum efferente, in muliebri ſtola mulieribus luctum agentibus permixtus, nigram habens calyptram, evaſit extra mœnia. Deinde per noctem Lyſimachiam tranſiit. *Polyæn. lib.* 3.

Idem captis Thebis in cloacam ſe abſcondens, poſt triduum, ſeu quatriduum ſub veſperam egreſſus, ad Delphos abiit, & inde ad Lyſimachum. *Polyæn. lib.* 3.

Idem captis Athenis à Demetrio, veſtem ſervilem, & ruſticam indutus, atramento faciem tingens, calathum ſterquilinio tectum portans, furtim egreſſus per exiguam portulam, conſcenſo equo, Dauricos aureos in manibus tenens, fugit. Equites Tarentini ſummo ſtudio perſequentes, nihil remittebant. Qui ſigillatim Daricos in viam ſparſit. Illi deſcendentes ex equis, aurum colligebant. Ipſe in Bœotiam pervenit. *Idem, & Suidas.*

Eumenes Gallos perſequentes fugiebat, imbecilla corporis valetudine præditus, & in lectica decumbens. Cùm non ſatis celeriter fugam maturaret, & jam interciperetur, conſpicatus ſecum viam collem, mandavit iis, qui lecticam portabant, ut in hoc eam deponerent. Barbari proximè ſequentes, arbitrati, nunquam hoc Eumenem facturum fuiſſe, niſi magnam aliquam manum in propinquo auxilii cauſa latitantem haberet, à perſequendo deſtiterunt. *Polian. lib.* 4.

Seleucus, cum è Cicilia fugiſſet è prælio, quod adverſus Barbaros commiſerat: ut ne amici quidem intelligerent, eum cū paucis ſe fugæ mandare, Amactyonis ducis regiæ jam armigerum ſe eſſe ſimulabat, ſumpta veſte ad habitum armigeri accommodato. Poſtea cum magna multitudo equitū peditumque confluxiſſet, tum recepta ſtola regia ſeipſum militibus conſpiciendum agnoſcendumque præbuit. *Polyæn. lib.* 4.

Nicol. Picininus, qui in Brixiano agro Philippi Mediolanenſis ducis exercitui præerat, apud Gardam oppidum circa Benacum lacum à Franciſco Sforcia Venetarum copiarum duce victus, quum ſe trepidè in oppidū recepiſſet, latuit per diem, ne ſi victor hoſtis reſciviſſet ſe Thenii eſſe, attentiſſima obſidione oppidum cingere prætentaret, omnemque evadendi adimeret facultatem. Intempeſta autem nocte pannis obſitus, pro lacero vulneribuſque confecto milite humeris extra oppidum delatus, averſis itineribus Ripam oppidum pervenit, quò magna equitatus pars ſe ex fuga receperat. Sunt qui dicant, eum ſacco obvolutum, ac pro vili ſarcina à Todeſchino ſatellite, panem ſe ferre ſimulante, per medios hoſtes in tutum deportatum. *Sab. lib.* 4. *Dec.* 3. *& Fulgoſ. lib.* 7. *cap.* 3. *& Platina in Eugenio IV.*

HABITUM, ORNATUM.

Xenophonti tum alia honeſta bonaque curæ fuerunt, tum ut haberet arma pulchra & expolita. Ajebat enim, ſi viciſſet, elegantiſſimè quoque ſe ſtola ab hoſtibus indutum iri: & ſi vitam amitteret in prælio, decorum eſſe jacere in armatura ſplendida. Dicitur igitur habuiſſe ſcutum Argolicum, thoracem Atticum, galeam Bœotico artificio factam, equum Epidaurium. *Ælian. de Var. Hiſt. lib.* 3.

Alcibiades, cum exercitus dux eſſet, ut pulcher eſſet, ſtuduit: nam & ſcutum habebat ex auro eboreque confectum, in quo erat inſigne Amor, qui fulmē flexerat. *Athen. l.* 12. *c.* 16.

PRU-

PRUDENTIA QUO AD IMPERATORIS FORTUNAS.

OPES CONSERVARE, ACQUIRERE.

☞ *De his infrà ſub Organorum Bellicorum adminiſtratrice Prudentia.*

INFAMIAM, SUSPICIONEM EVITARE, ELUERE.

Perfidiæ, Proditionis.

Pericles multum terræ poſſidebat. Archidamus Laconum rex, cum quo vetus ei amicitia, & hoſpitium intercedebat, populabundus in Atticam impreſſionem fecit. Pericles proſpiciens ac præſentiens, Archidamum hoſpitii religione ac honore ſuis agris parſurum, ne in ſuſpicionem Athenienſibus veniret, ante vaſtationem in concionem progreſſus, omnem terram, quam poſſidebat, Reipublicæ donavit. *Polian. lib.* 1. Simili ſtratagemate cùm Q. Fabium Max. Dictatorem circumvenire Hannibal ſtuderet, Fabius agros ſuos Reipub. dedit. *Val. lib.* 7. *cap.* 3. *& Front. lib.* 1. *cap.* 8.

Deſertionis.

Dominicus Michael Venetorum dux, cùm audiret Hieroſolymitanum regnum graviter laborare, Balduino II. Hieroſolymorum rege à Turcis capto; Calliſti Pontificis rogatu validiſſima claſſe Venetiis ſolvens, Saracenicam claſſem Joppem obſidione prementem disjecit, & ad Tyrum inſulam obſidendam converſus eſt. Cingebant eam ex altera parte terreſtri exercitu Varimundus Hieroſolymitanus antiſtes, reliquique Franci principes. Inter Francos ſeditio exorta eſt. Non ſine manifeſto periculo Tyrum ab ſe obſideri aſſerebant, Saracenorum ducem magnis adventare copiis, Venetos interim omnis periculi, & aleæ immunes fore. Ea re ad Dominicum ducem delata, id conſilium maximè placuit, ad confirmandos ſociorum animos, ut ex ſingulis navium carinis integræ tabulæ abſcinderentur, earumque clavi & reliqua gubernacula ad Varimundum antiſtitem in caſtra deferrentur. Hoc factum omnium animos, qui aderant, ita flexit, ut exclamarent omnes, unam eſſe Venetorum fidem, unam conſtantiam, ducemque ipſum Michaelem unum omnibus rebus anteponendum. Majori igitur ſtudio in obſidenda Tyro verſis omnium animis, facilè id contigit, ut Tyrus tandem caperetur: tertiaque urbis parte Venetis tradita, privam illis aream, privum forum, priva denique omnia templa concederentur; id quod fœdere inter Varimundum, & reliquos Principes convenerat. Quod Balduinus rex poſteà comprobavit. *Egnat. lib.* 2. *cap.* 2. *& Æmil. lib.* 5. *de Francorum regibus.*

*BELLI TEMPUS.

Quando bellum gerendum.

Non ſatis eſt ſcire, eſſe gerendum bellum: verùm etiam illud conſiderandum, hoc maximè tempore, quomodo ſcilicet ſit bellum gerendum; & ob quas cauſas. Sunt enim qui belli ſemina conquirunt, ut ſtrenui videantur: qui muſcas imitari videntur, quæ tantùm in locis ſcabris conſiſtere poſſunt, ſpecula polita oderunt. *Bodin. l.* 1. *de Repub. cap.* 5. Sunt quibus aurum placet: propoſitæ ſunt divitiæ & facultates; domi conſiſtere per egeſtatem nequeunt. *Tacit. l.* 4. Sunt quibus cupiditas nocendi aliis aut imperandi eſt propoſita. *Sal. in fragm. Comin. lib.* 3. *Hiſtoriar.* Habent cauſas leviculas alii armorum induendorum. Ab Æduis, & Arcadibus ſunt bella geſta propter apri caput: à Pyrrhis, & Scotis propter canes electos: a multis propter mulierculas abductas, aut injuria affectas. *Athen. l.* 3. *cap.* 4. Meliùs, & rectiùs Romani, qui dicuntur propterea felicia bella geſſiſſe, quia juſta geſſerunt, & glorioſa, non tam exitu quàm principiis, quia non ſine cauſa gravi ſuſcepta. *Liv. lib.* 5. *dec.* 6. Etiam laudantur in Hiſtoriis Lucullus & Scipio, qui dixerunt, malle ſe unum civem ſervare, quàm mille hoſtes occidere. *Plut. in Lucull. Iulius Capitol. in Anton. Pio.* Neque enim Imperatori arma capienda, dum pacem agere licet. *Zonar. in Martiano*, neque temerè in acie verſari, & manu cum hoſte confligere oportet: quòd immane hoc & belluarum ſimile. *Cic.* 1. *Off.* Ideòque tum demum bellum gerendum, cum primùm eſt cauſa juſta: quod hac, Imperatoria ſtat acies. *Theodoſius ad Valentinianum in Cæſarum vitis.*

*MILITUM DELECTUS IN BELLO.

Nimirum, per quos bellum gerendum? Quinam in militiam legendi?

Latiùs quæſtio hæc patet: Per quos ſcilicet bellum gerendum: Qui accerſendi, ut opem nobis in bello ferant. Eſt enim hic judicio magno ac delectu opus: oportet diligenter legere milites, & enucleatim aſcribere, non temerè: quia non vires, nec pondus habent, ſine judicio milites lecti. *Senec. lib.* 6. *de beneficentia cap.* 31. & impedimento magis ſunt quàm auxilio, qui vel neceſſitate quadam, vel imprudentia, vel avaritia, promiſcuè, & confusè in militiam cooptantur. *Livius lib.* 9. *Lipſius lib.* 5. *cap.* 8. *Polit.*

Eſt verò hìc ſpectanda primò ætas: & legendi adoleſcentes qui non minores ſunt ſeptem & decem annis, nec majores ſex, & quadraginta. *Livius dec.* 2. *lib.* 2. *Polyb. lib.* 6. *Saluſtius in Iugurtha. Svet. in Auguſt. Cœlius lib.* 10. *cap.* 38. *Vegetius de re militari l.* 1. *cap.* 4. Rationes iſtæ ſunt: quia primùm juvenes inde dicti, quòd in re militari juvare Rempub. poſſint. Deinde parendo maturè, imperare rectè diſcunt, Tertiò, melius eſt, ut exercitatus juvenis cauſetur, ætatem nondum veniſſe pugnandi, quàm doleat præteriiſſe. Quartò, diſcendi ſpatium habeatur, neceſſe eſt: quia non parva aut levis ars eſt armorum. *Vegetius de re militari lib.* 1. *cap.* 4. Quòd ſi impuberes olim aut milites aut tribuni facti Imperatorum licentia, non magis Reipub. commodo fuerunt: quemadmodum ſenes, neceſſitate ita flagitante, aliquando ita pugnarunt. *Plut. in Scipione, Alexand. ab Alex. lib.* 1. *cap.* 20.

Secundò, Natio conſideranda: ubi quæſtio ſe offert nobilis, Utrum melius ſit, milites peregrinos & mercenarios, an verò domeſticos, & indigenas eſſe? Pro peregrinis faciunt argumenta, quæ ſequuntur. Quòd primùm non eſſe tutum videtur Principibus, & magiſtratibus, illis ſubditos armari: propterea quòd arma ſemel ſumpta, non facilè deponunt, ſed contra ipſos Magiſtratus ſæpè uſurpant. Secundò, experientia ipſa teſtatur, non omnes æquè ad arma tractanda eſſe idoneos; ſed nationem, nationem aliam hac in re ſuperare: ſuppeditare hanc bonos equites, aliam bonos pedites. Tertiò, ſunt meticuloſi & timidi plerumque indigenæ, dum de uxoribus, liberis, ædibus & villulis ſuis cogitant. Quartò, Cyrus ſapientiſſimus longinquos, & peregrinos, ut equos, ita milites quoque oportere quæri cenſuit: Alexandrini nullos milites niſi peregrinos admiſerunt: prudentiſſimi quique viri in ea fuerunt ſententia, nihil mercatura illa nobilius eſſe, qua viri rei militaris periti parantur. *Plin. lib.* 37. *Veget. l.* 1. *cap.* 30. *Xenoph. lib.* 1. *Pædiæ Cyri. Alex. ab Alex. lib.* 1. *cap.* 30. *Iovius in vita Galeacii Lipſius lib.* 1. *cap.* 9. *&* 10.

Verùm ſunt plures rationes contra peregrinos pro indigenis. Et quidem, 1. quòd viliùs conſtat erudire armis ſuos, quàm alienos mercede conducere. *Veget. l.* 1. *cap.* 28. 2. Minùs fidi ſunt externi, mercede majore fas, & jus exuunt. *Cor. Tacit.* 3. Sunt contumaces, & petulantes, regi ſe nolunt, ex libidine cuncta agunt. *Idem l.* 4. 4. Facilè movent ſeditiones ac tumultus, maximè cum ad prælium jam eundum. *Idem lib.* 3. 5. Quia non pro ſuis pugnant rebus, ſed alienis: cum eſt ad pugnam perventum, fugiunt. *Idem lib.* 8. 6. Graves & moleſti ſunt incolis: fiunt devoratores, & depopulatores terræ, quam defendere debebant. *Curt. lib.* 3. 7. Imò ſæpè regna, & imperia ad ſe trahunt: deprehenditur verum, quod ille canit: Fraus fidem in parvis ſibi præſtruit, ut cum operæ pretium ſit, cum magna mercede fallat. *Liv.* 3. 8. Teſtantur exempla, Saladini in Ægypto, Longobardorum in Italia, Francorum in Gallia, Angl. Saxonum in Britannia: qui conducti mercede, ejectis incolis, ipſi regna occuparunt. Quemadmodum & Turcæ dominari cœperunt, cum à diſſidentibus principibus Græcorum in auxilium ſunt accerſiti. *Bodin. lib.* 5. *cap.* 58. Cum ſunt peregrini, & externi milites, inter nationes varias diſſenſiones magnæ, etiam rixæ de principatu, & imperio oriri ſolent: ubi idem accidit, quod illis qui navigant, dum inter ſe naucleri de gubernatione contendunt. 9. Solvendis quoque ſtipendiis ærarium exhauritur: ad alienos pecunia transfertur. *Bod. l.* 5. *cap.* 5. *de Rep.* 10. Veriſimile eſt, promptiores homines ad ſua propugnanda, quàm aliena eſſe. Probant hoc ipſum exempla priſcorum, qui freti exterorum auxiliis, defectiones magnas ſunt experti, ut Scipiones in Hiſpania. *Liv.* 35. Siphas rex *apud eundem l.* 30. & Pompejani in bello Pharſalico. *Appian.* Et Galli ad Mediolanum. *Guicciard. l.* 10. Et Carol. Galliæ Rex VIII. *Arnold. l.* 2. *Gallicarum Hiſtoriarum.* Et ſi nihil eſſet aliud, contemni ſaltem ab his inquilini videntur, idque ægrè moleſtèque ferunt. Quòd ſi verò omninò hi neceſſarii, danda opera, ut plus roboris noſtris, quàm externi militis in caſtris dux habeat. *Liv. lib.* 35. Et Romani diligenter illud obſervarunt, ut totius exercitus robur Romano cive, & Italo homine conſtaret. *Fulgoſ. lib.* 2. *cap.* 1. Nec numerus amplior auxiliorum ex peregrinis copiis, quàm civium eſſet. *Alexand. lib.* 1. *cap.* 5. *&* 20.